

21 1771.2 23

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
SISTENS OBSERVATIONES
DE
NOMINATIS
SENATVS NORIMBERGENSIS
NVMEROSIORIS

(*Von den Genannten des groeffern Raths zu Nürnberg*)

P. 153.

QVAM
DEO ADIVVANTE
AVCTORITATE ET CONSENSV
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA ALTORFINA
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM
RITE CONSEQUENDI
D. xv. DECEMBRIS A. CIOCCCLXXIIII.
PVBLICE DEFENDET
PAVLLVS IACOBVS FEVERLEIN
NORIMBERGENSIS
REIP. PATR. ADVOCATVS
SOC. DVC. TEVT. HELMSTAD. ET SOC. LAT. ALTORE.
ADSCRIPTVS.

ALTORFII
TYPIS IOANNIS PAVLLI MEYER.



DISSEMINATIO IN AGRARIIS
SISTENS OPERATIOMES
IN OMNIA TERRA
EQUITATIS NOMINATIS
NUMEROSORIS
(C. 1700)

DEO ADIVANTTE
TERRITORIATI ET CONSERVATIONI
MACHINICOTOMIAVM ORDINIS
INGENIERIATAM ALTOREM
PRO FIDUCIA
SUMMIS INSTRUMENTIS VIRTU TERRITORIIS
ET HABENDIS DOCTRINA ADOCT MATERIIS
IN CIVILIS CONSERVATIONI
D. Z. DISSEMINATORIS COMMUNICAZIONE
TERRITORIATAM
PVALITA ILLIGITAE PRAEVERELIN
EXCELSA
HABET TERRITORIATAM
TOTIS TERRITORIIS SED ET TERRITORIIS
CIVITATUM

DISSEMINATORIS
COMMUNICAZIONE

SACRI ROMANI IMPERII
PERILLVSTRIS AC LIBERAE
REIPVBLCACE
NORIMBERGENSIS
S E N A T V I
SPLENDIDISSIMO
VIRIS
PERILLVSTRBVS AC GENEROSISSIMIS
DOMINIS
DOMINIS
DVVM VIRIS
TRIVM VIRIS
SEPTEM VIRIS
CONSVLIBVS
SENATORIBVS
PATRIBVS PATRIAEC CONSCRIPTIS
DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS
GRATIOSISSIMIS INDVLGENTISSIONIS

SALVBERRIMA QVAEVIS

A B

ALTISSIMO NVMINE

P R O

TRANQVILLO REGIMINE STABILIENDO

CONSILIORVM SVCCESSV PROSPERRIMO

FAMILIARVM ILLVSTRIVM

FLORE PER ENNI

CIVIVMQVE SALVTE PERPETVA

EXOPTANDA

PIE AD PRECATVS

TERTIVM HOC SPECIMEN ACADEMICVM

IDQVE INAVGVRALE

OMNI QVA DECECT AC PAR EST HONORIS

ET OBSERVANTIAE CVLTV

D. D. D.

SE SVAQVE STVDIA

DE MELIORI COMMENDANS

A V C T O R.



DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS
SISTENS OBSERVATIONES
DE
NOMINATIS
SENATVS NORIMBERGENSIS
NVMEROSIORIS.

PRO O E M I V M .

Norimbergam ciuitatem praestantia regiminis, legum aequitate, senatorum primorumque nobilitate generis et uirtutis, ciuium fide, opibus, artificiis ingenii, fama opificum, aedificiorum magnificentia, a priscis iam inde temporibus floruisse, inter omnes constat, et unusquisque partium studio haud abreptus libere confitebitur. Hinc egregia illa encomia, hinc uaria insigniaque nomina, quae ab omni aeuo, uirtute, do-


A 3

ctrina



Etrina, dignitate prae ceteris eminentes, non solum domestici, sed et extranei, iique haud pauci uiri, inclitae urbi huic certatim tribuerunt. In primis uero, siue elegantissimam reipublicae habitudinem, siue optimum ciuilis disciplinae ordinem, siue amicabilia, quibus ciues iunguntur inuicem iuriuum societatisque vincula spectes, prudentiam summam, sapientiam ubique plane singularem offendes atque miraberis. Publicus ciuitatis status aristocraticus est, democratia quodammodo temperatus.^{a)} Ordo senatorius duplex, quorum unus *senatus maior*, *minor* alter, respectu numeri appellatur. Hic ex quadraginta duobus senatoribus, quorum triginta quatuor *patricii* sunt, et octo *plebeii*, constat. Vetus est patriciis nobilitas, et antiquus illustrium imaginum splendor: unde et plerisque his familiis orti, ludis equestribus A. c*cc*xcvii. ab Henrico VI. Norimbergae celebratis, quo apud Germanos nobilitatis fortius argumentum est nullum, dimicantes interfuerant.^{b)} Iisdem quoque iuribus, priuilegiis, eadem libertate, quibus ceteri in Germania aurati equites, fruuntur. Patricii in uaria dispescuntur collegia. Discrimen inter uiginti sex consules, in genere sic dictos, uel rectius senatores consulares, quorum tredecim *consules in specie* sic dicti, reliqui tredecim *Scabini*, uocantur, et octo *seniores nominatos*, (*der acht Herren alten Genannten*) praecipue animaduertendum est. Ex XXVI. consulibus, duo unius eiusdemque provinciae, (*puta scabinus et scabinus consul et consul*) nunquam coniunctim consularē gerere officium possunt. Semper enim consul scabino, aut scabinus consuli adiunctus, consulatum suscipiunt. (*werden regierende Burgermeister*) Ex his duobus *senior* (*der alte Herr Burgermeister*) alter, alter *iunior* (*der junge Herr Burgermeister*) nuncupatur. Qui uero singulis quatuor hebdomadibus consulatu

latu se abdicant, spartamque suam duobus aliis a toto
 senatu praecedente electione (*bei gehaltener Burgermeister
 Frage*) creatis, relinquunt. Nulla seniorum, et iuniorum
 consulum est differentia: praeterquam quod septem ex tre-
 decim senioribus consulibus *seniores domini*, (*die Herren Ael-
 tern*) uel a numero *septemuiri* (*die sieben alten Herren*) audi-
 unt. Septem hi primores diuerlarum familiarum, (duo enim
 unius eiusdemque gentilitii nominis simul esse tales neque-
 unt) *septemuirale* constituunt collegium, quod, si caussis
 maximi momenti unus ex senioribus consulibus adhuc ac-
 cedit, senatus octo virorum (*der Rath bei den Achten*) no-
 minatur. Atque hi clavum quasi regiminis ciuitatis te-
 nent. Tres *septemuirorum* primores, ciuitatis sunt *cen-
 turiones*, aut si mauis, *capitanei*. (*die drei obriisten Haupt-
 leute*) His custodia insignium imperii, reliquiarum sancto-
 rum, uexilli, sigillorum, clavum portarum ciuitatis, ali-
 arumque magni momenti rerum, credita est, indeque et
 iam nomen *der Cronbüter und Bewahrer der Reichsleinodien*.
 Duo horum principes vocantur *quaestores*, (*Herren Lo-
 sunger*) inter quos prior principem in republica tenet lo-
 cum et nomine *castellani*, praefecti arcis imperialis, praetor
 is (*Castellan, Pfleger der Reicks Veste, Schultbeis*) insig-
 nitur. Hinc quoque *duuumirorum*, *triumuirorum*,
septemuirorum, quo duo, tres, et septem primores
 seniorum consulum ob singularem dignitatem et munera
 grauitatem celebrantur, titulus est deriuandus. Quod
 ad octo seniorum Nominatos attinet, hi eiusdem sunt
 patricii ordinis, ex senatu maiori leguntur, atque
 etiam seniorum Nominati minoris senatus (*die alte Genam-
 te des kleinern Raths*) vocantur, ut a numerosiori senatui
 adscriptis, qui simpliciter *Nominati* dicuntur, distinguan-
 tur. Illi totum Nominatorum collegium quasi repreesen-
 tant,



tant; magistratus gerunt nullos, nisi quod interdum consules designantur iuniores; aliis tamen curis et functionibus regiminis sibi demandatis inuigilant; una cum reliquis XXVI. nobilibus senatoribus singulis fastis diebus, aut quoties a seniore consule extra ordinem conuocantur, in curiam ueniunt, et in consortium administrationis ciuitatis adhibentur. Atque haec quidem, quae de XXXIV. his senatoribus nobilibus, de classibus eorum et differentia respectu munierum dicenda erant, sufficient. Et enim si de uariis eorum officiis ac functionibus agere copiosius uellem, non modo breues disputationis cancelllos egrederer, et a proposito nimium aberrarem meo, sed et laborem susciparem, quo me antiquiores aequae ac recentiores scriptores iam pridem subleuarunt. Restat, ut, quod minorem ad senatum attinet, indicem, octo senatores plebeios ex opificibus, scilicet ex pannificibus unum, ex coriariis unum, unum ex aurificibus, unum ex pellionibus, unum ex laniis, unum ex cereuiae coctoribus, unum ex pistoribus, unum ex farroribus, sumi, Nominatosque minoris senatus ex opificibus (*Genannte des kleinern Raths von den Handwerkern*) nuncupari. Senior quoque ex his *Quaestor opificum* (*Lofunger von den Handwerkern*) salutatur. Hi in senatum quandoque uenient uocati, si quares maioris momenti agitur, praesertim de surrogandis officialibus maiorum munierum publicorum, de collectis imponendis, de cauissimis capitalibus, de suppliciis irrogandis, similibusque, aut aliis maximi ponderis rebus, et quoties senatus sub fide iurisiurandi (*beim Eid oder bei den Rechten*) cogitatur. Vocati inter nobiles sedent, liberum ferunt suffragium, patrum tamen, quae maiori nituntur aequitate, sententiis plerumque subscribunt.

Qui

Qui maior, uel numerosior dicitur senatus, quia plures hoc in consilio sunt, ex ducentis pluribusue plerumque constat personis, quae titulo *Nominatorum* (*Genannten des groessern Raths*) insigniuntur. Tam ex patriciis gentibus, quam consiliariorum, doctorum, mercatorum, aliorumque ciuium honestiorum ordinibus leguntur, et proprie quidem non sunt senatores, nec nisi certis temporibus conuocantur, ueluti lunae die post festum paschatis, ut electores minoris senatus deligant, uel certas ob causas, e. gr. quoties de tributis imponendis, de bello gerendo, de aliis maximi momenti rebus, ex quibus uniuersi ciues damni aliquid capere facile possent, quaestio in senatu proponitur. Senatores tamen minoris senatus ex iis sumuntur. Singulis annis, die secundo memoriae resuscitati seruatoris facro ex senioribus dominis, uel saltem senioribus consulibus, dato prius iure iurando, unum consulem, et scabinum unum eligunt. Hi duo una cum tribus senioribus Nominatis, quos senatus minor certa lege designat, electores senatus denuo optandi dicuntur: quibus quinque conscriptis nemo amplius est senator, omnes sunt priuati, omnia officia, omnes magistratus uacant; namque hi soli dant et non reddunt togam.

Cum senatui huic maiori adscripti uariis quoque officiis, priuilegiis et iuribus utantur, ea paullo accuratius describere operae pretium duxi. Evidem menon fugit, multis in libris passim de iis mentionem iam factam esse: ast quae ibi inuenies, partim paullo exilius narrantur, partim fide destituuntur historica, ut, si omnes coniungas, uix totum conficiatur. Spero itaque et confido, fore, ut, si rem hanc ex instituto pro uirili mea tractare iam aggrediar, non solum patriae historiae studiosissimi, sed etiam

B

exteri,



exteri, quorum forte in manus hae uenient plagulae, consilium meum non damnent, et hoc quoque specimen academicum, aequi bonique consulant. Ordinem sequar naturae rei pertractandae, ut mihi uidetur, maxime accommodatum, ita, ut breuem Nominatorum historiam praemittam, ac primum, quae generatim de iis dicenda sunt, persequar, his uero absolutis, officia, iura eorum, et quae alia hic pertinent, sigillatim accurateque exponam.

- a) KNIPSCHILD de ciuitatib. imp. L. III. C. XXXVIII. n. 22; qui tamen alio loco L. I. cap. VIII. n. 43. statuit, assumptionem personarum ex officiis non obscurare formam ciuitatis aristocraticam, nec eam in mixtam conuertere.
- b) Cf. Celeberr. I. C. GATTERER de ludo equestri ab Henr. VI. Imp. CICCLXXXVII. Norib. celebrato ac de nobilitatis diplomate ab eodem. Imp. patriciis Norimberg. concessso, itemque de sigillo peruetufo Herdegeni Holzschuberi. Altorf. 1752. 4.
- c) Confer sis Cel. WAGENSEIL in comment. de ciuitate Noribergensi; illustrem Auctorem comment. succinctae in Ref. Nor. et in primis B. CPH. PELLER in notis in Oldenburgeri thes. rerum publ. p. IV. quae extant in Celeberr. WILL. Museo Norico p. 161. sq.




SECTIO I.

SECTIO I.
HISTORICA.

Obseruatio I.

QVID NOMINATI? VNDE QVE NOMEN
DVXERINT HOC?

Cum omnis, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat a definitione proficiisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur, necesse est, quoniam omnis disputatio de *Nominatis* futura est, ante definire, quid sint *Nominati*. Sunt autem personae publicae hac fruentes auctoritate, ut non modo testamenta coram duobus ex illis condita, sed et contractus, aliquie actus tam inter viuos, quam mortis causa celebrati, et ab iis confirmati, plenissimum obtineant iuris uigorem. Pluribus de definitione hac infra agetur, quaeque exinde sequuntur, pro instituti ratione ostendentur. Respondendum iam est iis, qui forsitan ex me quaerant, unde *Nominati* hanc traxerint appellationem. Quam hoc de genere celeberr. et consultiss. PELLER loco supra citato profert, opinio mihi perplacet. Putat scilicet, *Nomina*tos uel ideo, quia nomen ipsorum prae ceteris celebre et in tabulis extat, (*dass sie vor andern benannt und nahmhaft sind*) uel corrupta syllabarum contractione, a uerbo signare, quasi *Sigillantes*, ita dictos esse. Namque constat, et insuper pluribus mox docebitur, duo *Nominatos* negotia, quae ex lege uel consuetudine plures quam duos exigunt testes, subscriptione, signis, et sigillis suis munire. Ast deriuatio nominis huius ex eo, quod ad certa negotia gerenda nominati, denominati, nuncupati (*genannt, ernannt, bestimmt*)



flimmt) sunt, maxime mihi probatur. Caue autem credas, Nominatos semper ita appellatos esse. Multiplicia uariaque, pro temporum locorumque ratione, nomina eorum fuerunt. Sic inuenimus, eos inter alia assessores et sigillares, personas authenticas, homines synodales, ciues Norimbergenses iuratos, signantes, salamannos, uiros honoratos (*Cehrbar Leute und Maenner*) esse vocatos ^{a)}). In *Glossario du FRESNE* T. III. f. u. *iuramentum* legitur: *Qui (scil. sacramentales) a reis eligebantur aduocati; ut qui ab accusatore, Nominati uel Denominati dicebantur.* *Lex Alamannorum* tit. 53. Et cum XII. *Sacramentalibus iuret, cum V. Nominatis, et VII. aduocatis.* tit. 24. et 28. cum XII. *Nominatis iuret, et aliis tantis aduocatis.* — *Nominati uero dicti saepe nude sacramentales ab actore uel accusatore delegati.* *Lex Alamann.* tit. 89. Si quis hominem occiderit, cum XII. *Nominatis iuret.* *Lex Baiwar.* t. 6. §. 2. Cum XXIII. *Sacramentalibus Nominatis iuret in altari. Decretum Tassilonis de popularibus* LL. §. 6. *Iuret in ecclesia cum tribus Nominatis Sacramentalibus. Denominari, apud HINC MARVM opusc.* 53. Cum denominatis sibi uicinis presbyteris -- famam suam purget. *FRIDERICVS II. Imp. in charta priuilegiorum urbis Ratisbonensis an. CIOCCXXX. Is, qui reus putatur, tertia manu se purgabit, inter quos sint duo, qui dicuntur Denominati.* Ex quibus colligi simul potest, Nominatos extra ditionem Norimbergensem, licet sensu non semper plane eodem et munere, notos etiam fuisse. Facit praeterea locus hic ad corroborandam meam sententiam, Nominatos exinde, quod ad certa negotia gerenda designati sunt, nomen suum accepisse. In *GE. HEINISCH thesauro linguae et sapientiae German.* libro perraro, hic memoratu dignus legitur locus: „*Genannte „ist zu Nurnberg der kleine und groÙe Rath, pacta dota- lia*

„lia Norimberga sigillantur von zweien gemeinen idioten^{b)},
„a duobus senatoribus.“ Plura exempla, ne iusto sim
copiosior, silentio transeo.

a) Vide Generofiss. AVCTOREM in Comment. Ref. Nor.; Generofiss. 10.
HEYMANN, praecipuum quondam huius acad. decus, in progr. de
Salmannis, quod exstat in eiusdem opusculis p. 289 sq.; WEHNER
in obseruati. practicis sub uoce Genannten; 10. HIER. WVRFFEBAIN
in traet. de differentiis iur. ciu. et Reform. Nor. Norimb. 1665. in 8.

b) Non est, quod sinistre interpretemur uerbum hoc, quo ipsi Latini usi
sunt. Significat enim idiota non solum illiteratum, imperitum, sed
etiam hominem priuatum, plebeium, qui publico haud fungitur mu-
nere, cui opponitur ἄρχω apud DEMOSTHENEM. CICERO in
or. in Verrem inquit: *Quae non modo istum hominem ingeniosum at-*
que intelligentem, uerum etiam quemuis nostrum, quos iste Idiotas ap-
pellat, delellare possent. Rursus utitur uoce hac in or. pro Sexto
cap. 51. ut et SENECA Suasor. 6. QVINTILIANVS, GELLIVS
L. I. cap. 2. LVCILIVS, apud quem: *Quidni et tu idem illiteratum*
me, atque Idiotam dices? Vid. du FRESNE l. c. T. III. 1. u. *Idiotæ.*

Obseruatio II.

DE ORIGINE ET INITIO NOMINATORVM IN QVIRITVR.

Vulgaris, at perdifficilis ad respondendum, quaestio
est, quando originem acceperint suam Nominati? Ma-
gna est, ut fieri solet, inter scriptores ea de re dissensio.
Ex communi opinione ortus eorum in illud incidit tempus,
quo CAROLVS IIII. imperator indulgentissimus, turbis,
quibus tunc grauissime uexabatur patria urbs, pacatis, fa-
luberrimam illam reipublicae formam, quae dicitur ari-
stocratica, haud quidem, quod nonnulli praeter caussam
opinati sunt, primum Norimberga instituit, sed potius
redintegravit, vindicauit, nouisque legibus confirmauit^{a).}

B 3

Alii



Alii annum CIOCCCXXXII. quo forma reipubl. stabilita, et
 regimen totum ad senatum delatum est, terminum eum
 aiunt esse, a quo origo repetenda sit. Maxime autem
 mirificeque errant illi, qui Nominatorum originem iam
 TACITI a temporibus deriuant, eamque ob caussam locum
 quemdam scriptoris huius allegant. Scilicet apud eum
 cap. XII. de M. G. legitur: *Centeni singulis ex plebe comites,*
consilium simul et auctoritas adjunt; quibus uerbis nimio antiquitatis studio abrepti Nominatos intelligi uolunt. Si dicendum, quod res est, confiteamur oportet, originem Nominatorum in incerto sitam esse mansuramque^{b)}. Hoc tamen omni caret dubitatione, eos, uti etiam antiquiores legum Noricarum tabulae, aliaque prisea monumenta indicant, uetusissimis iam temporibus Norimbergae aliisque in locis notos fuisse. Certe eos non demum saeculo XIV. sedata perfidorum ciuium rebellione, introductos, sed saec. XIII. cognitos iam fuisse, inter alia ex duobus publicis documentis appetat. In uno anni CIOCCCLXXVI. mentio eorum mouetur uerbis his: an. CIOCCCLXXVI. an *Sant Iohan und Paul Tag der Martirer bei einer Schenkung an die Minoriten allbier Zeugen etc. unde andere erfassen Liveten, Schepffen unde Genannten unde Gelert und ungelerten Geistlich unde Weltlich.* In altero de a. CIOCCCLXXII. legitur: A. CIOCCCLXXXII. 14. Kal. Iulii über ein Haus auf dem Egidi Kirchhof etc. quibus auditis et perfectis et cum duobus nominatis secundum ius ciuitatis in omnibus probatis etc. Me ramen haud fugit, usque ad annum CIOCCCXXXXIX. plerumque nobiles tantum patricios (*die so genannten ehrbare Geschlechter*) paucioresque e ciuibus, praeter octo opifices senatoriae dignitatis capaces, creatos esse Nominatos. Post seditionem, quam diximus, in publicis ad hodiernum diem conseruatis catalogis (*Genann-*
 ten-

ten-Bückern) Nominatorum, praesertim ciuici ordinis, crebrior fit mentio. Ex quo facile colligitur, senatum minorem post id temporis anam inde arripuisse, plures ex ciuibus designandi Nominatos, ut forte recentiori tunc reipublicae formae populus eo lubentius acquiesceret.

- a) V. Io. Guil. EBNER *in oratione de cauiss et eventu turbarum, quibus Norimberga A. cccccxxxviii, consiliata est*, in Acad. Altorf. A. 1738. libita, quea legitur in M. Io. Cph. MARTINI *thesauro differt.* Tom. I. P. II. Norimb. 1764: edito.

- b) VVAGENSEI L. C. p. 274, item *Comment. Ref. N. P. I.* p. 657.

Obseruatio III.

DE NUMERO NOMINATORVM.

Non est fixus Nominatorum numerus. Integrum collegium, quod tam minorem, quam maiorem senatum complectitur, prout plures paucioresue ueterum ex uita decesserunt, nonnunquam ex ducentis, trecentis, pluribusue personis constat. Pari modo eorum, qui eligi quotannis solent, non statutus est numerus. Plerumque numerus a duodecim ad uiginti, (elapso saeculo a 30. usque ad 40. 50.) assurgit. Interdum plures paucioresue, quam ueteres uita functi sunt, designatione. Temporis rerumque circumstantium in legendis Nominatis ratio habetur. Quodsi aliquam multi ueterum adhuc superstites sunt, uel pauci, uel nulli nominantur. Sic ab a. cccccxxxix. ad a. cccclvii. usque, uti ex publicis eorum catalogis uidere est, eadem ob cauissam nulli cooptabantur. Quamquam magna est Nominatorum dignitas, multisque praerogatiis et priuilegiis ornata; attamen, quia cum modestia aliqua et impedio coniuncta est, perpauci saepius, quin nulli interdum eam ambiunt. A. cccccclxxi. septem-



tem tantum eligebantur, dum summa propter caritatem et rei familiaris angustias, quibus populus id temporis urgebatur, multis, et in primis iis, qui uictum manibus quaeritant, iniungi non poterat, ut sumtus huic muneri impendendos ferrent.

Observatio IV.

DE MODO NOMINATOS ELIGENDI.

Nominati singulis fere annis die post festum paschatos tertio a minore senatu eliguntur et constituuntur. Postero nempe Iouis die in conclavi contignationis primae penultimo *Sternstube* dicto, consuetum iusiurandum, ^{a)} quod in commentatione succincta ad Reform. Nor. ad uerbum inuenies, ipsis praelegitur. Quo facto, a senatore, cui hoc tunc temporis officium attributum, et nomen aufführender *Herr* est, super salarium in magnum curiae atrium (*in den grossen Rathhaus Saal*) et ex hoc in senaculum ducuntur. Ibi, praesentibus patribus conscripsis sacramento obligantur. Die hac sollempni habitu induiti senatorio, quo uti aliis diebus iis non licet, comparent. Senatores minoris senatus ex Nominatis numerosioris sumi, supra iam dictum est. Perraro fit, ut quis in senatum interiore legatur, qui collegio Nominatorum nondum adscriptus est; et hoc casu paucis post diebus, uti a. c. 1515 CCLXVIII. et c. 1515 CCLXXII. euenit, designantur. Cuilibet senatori candidatum nominandi potestas est. Quales porro esse eos oporteat, sectione sequente pluribus exponam.

a) De renouata sacramenti huius formula, et de errore, qui sine dubio Generofissi laudatae huius comment. auetorem tenet, consulas sis Excellentiss. WILL in Vol. II, p. 163. *Bibliothecae Noricae.*

SECTIO II.

SECTIO II.

IVRIDICA.

Caput I.

DE IVRE PERSONARVM.

Obseruatio I.


QVI NOMINATI ESSE NON POSSVNT.

Omnes, qui uel legibus, uel moribus, uel natura impediuntur, aut prohibitentur, munere Nominatorum excluduntur ^{a)}). Ex quibus facile patet, impuberes, minores, dementes, furiosos, mutos et surdos, feminas, provinciam capere hanc non posse. Clerici, qui ante instaurata sacra officii Nominati, tamquam ciuilis muneris, ex canonici iuris principiis incapaces erant, nostro adhuc aeuo ex certa ratione politica a munere hoc arcentur. Quod ideo interdictum iis esse uidetur: quia non solum ordinis eorum sacro minime accommodatum est, talibus negotiis ciuilibus se immiscere, sed etiam haud ignotum est, eos pristinis temporibus saepenumero occasionem arripuisse, testatorum aures perpetuis fatigandi sermonibus, atque eo usque obtundendi, donec ipsis, uel alii pio corpori, testamento quid relinquerent. Alia haudque contemnenda ciuilis est ratio, ob quam neque incolae, neque forenses, qui iure honorum non gaudent, neque caelides, spar tam nancisci Nominatorum possunt.

a) Euolu. L. 2. D. de R. I. et L. 12. §. 2. de Iudic.

C

Obser-



Obseruatio II.

QVALES NOMINATOS ESSE OPORTEAT.

Ex his, quae obseruatione antecedente dicta sunt, facile perspicitur, nullos, nisi ciues honestos, nuptos, fixo in urbe domicilio gaudentes, ut paucis dicam, neque legibus, neque natura, neque moribus inhabiles, ad dignitatem Nominatorum peruenire. Nominatos nuptos esse oportere non ita est accipendum, ut, qui morte uxorem amiserunt, munere hoc quoque orbentur. Sufficit, eos in matrimonio uixisse, etiam si, dum munus Nominati pertinet, ad secundas nuptias non transierunt. Namque ratio, ob quam Nominatos maritos esse oportet, haec sine dubio est, quod coniuges propter nexum hunc specialem, et quia sedem rerum omnium ac fortunarum suarum in urbem collocarunt, saluti publicae eo melius prouidere, ciuitateque non tam facile abire, et in alia migrare loca iudicantur. Atqui, cum ratio in uiduis cesset, hi post coniugis obitum neque suscepito iam Nominati munere spoliandi, nec, si prouinciam hanc nondum obierunt, ab ea pertenda arcendi sunt. Non abs re erit hic notare, in electione singulorum senatorum minoris senatus, requisiti eiusdem rationem haberi. Nemo enim, nec gente ex patricia, nec ex octo opificibus, nisi qui in matrimonio uel adhuc uiuit, uel olim uixerit, ordinem adipisci senatorium potest.^{a)}

a) C. Consiliarius et Procancellarius PELLER l.c. p. 172.

Obseruatio III.


DE HIS QVI A NOMINATI MVNERE
REMOVENTVR.

Accidit nonnunquam, ut, qui ab initio dignitatis Nominati capaces fuerunt, deinceps, accedente casu aliquo,
in-

❧

inhabiles fiant. Multi hic adserri casus possent, quos ue-
ro omnes si lustrarem, nimis copiose dicerem. Sufficiat
igitur nominare praecipuos, inter quos primum refero,
si quis uel publicum uel priuatum commiserit delictum.
Media capitis deminutione Nominatum dignitate exui hac,
ultra patet. Itidem qui a mente deseruntur, a numero se-
civium segregant, Nominati esse desinunt. Praesertim
intuitu decoctorum PERILLVSTRIS SENATVS *decreto de XXIII.*
Sept. a. CICICXXXXV. eodemque renouato de I. Oct. a.
CICICCCXVII. cavit, ut, qui non suo, sed fortunae uitio
foro cessere, ab officiis suis ad tempus tantum, quoad
cognitio finiatur, submouerentur, qui autem culpa sua
uitaque dissoluta decoixerunt et bona dilapidarunt sua,
statim ab officio Nominati, omnibusque honoribus suis
plane repellerentur. Quemadmodum aliquis Nominati mu-
nere functus deinceps, propter defectum fortuitum, inhabi-
lis fit; sic, cessante uitio hoc, pristinam merito capit pro-
uinciam. Rem hanc luce meridiana clariorem multis ex-
emplis illustrare et argumentis, supersedere certe possum.
Monendum solummodo est, si quis ex albo Nominatorum
eraditur, hoc dici, *sein Name wird in dem Genannten Buch
zugedeckt: sin rursus in numerum eorum adscribitur, sein
Name wird wieder aufgedeckt.*





Caput II.

IVS RERVVM COMPLECTENS, ET QVIDEM

A) IVS IN RE.

Obseruatio I.

QVID CIRCA DONATIONEM DE NOMINATIS

OBSERVANDVM SIT.

Actus ille, quo quis dominus, nullo iure cogente, liberalitatis exercendae gratia, rem suam in alterum accipit entem transfert, uel mortis caussa fit, uel inter uiuos^{a)}. Quod ad donationem inter uiuos attinet, quae quingentos solidos excedit, ea secundum ius commune actis interuenientibus^{b)}, celebrandā est^{c)}. Donatio mortis caussa, quae iure ciuili quinque exigit testes^{d)}, coram duobus Nominatis iure Norico valide celebratur^{e)}.

a) pr. Inst. de donat.

b) et quidem in foro competente secundū sententiam in iure satis fundatam Cl. PAULLI VVILHELMI SCHMID in diss. de insinuatione donationis quingentos solidos excedentis coram iudice incompetente hanc Jusicienda. Cui suffragatur Vir consultiss. ac de republ. patria, dum uniuersit. meritissimus IO. MICHAEL FRIDER. LOCHNER in selectis iur. uniuersi, p. 494.

c) §. 2. I. de donat. L. 36. §. f. c. h. t. STRYK de caut. contract. Sect. 3. C. 9. §. 5. BECHMANN de donat. excedentium 500. solidos spicciali iure.

d) L. ult. §. f. c. de codicillis.

e) Comment. Ref. Nor. P. l. p. 856.

Obseruatio II.

DE NORICO TESTANDI MODO.

Quamquam ex summorum uirorum et Philosophorum, et iure consultorum sententia testamenta in iure naturae

turae fundata sunt^{a)} , ueteribus tamen Germanis, teste Tacito,^{b)} plane incognita fuerunt. Ex Romanis demum legibus, maiores nostri, quibus paupere supellestile contentis ex segete, pecore et uenatu uix amplius, quam quod uictui quotidiano eique simplici sufficeret, quaerebatur, actum testandi didicerunt. In Germaniam magnam sero adlata est testandi consuetudo atque institutum. Illis Germaniae gentibus, quae saec. IIII. et V. Romanorum prouincias occuparunt, mature innotuerunt testamenta, quae in prouinciis ab iis occupatis iam recepta retinuerunt. Diu sicut et facultas testandi, et forma testamenti factionis in Germania circumscripta,^{c)} donec saec. XIIII. et XIIIII. eo peruentum sit, ut in plerisque locis legibus tantum Romano-lustinianeis uiueretur, et cuilibet testandi libertas concederetur^{d)}. Ait incommoda, quae cum forma testamentorum priuatorum secundum Romanorum iura conditorum coniuncta, et in primis ratione probatioris, tot fatalium litium fontes fuerunt, multos Germaniae legislatores commouerunt, ut breuicrem et praxi accommodatiorem testandi modum introducerent. Praetereo hic statuta aliorum locorum, quae, missis Romanis subtilitatibus, modum et formam intentioni hominum in testamentis condendis magis respondentem praescripserunt, et praecipue legum Noricarum rationem habeo. Secundum has^{e)} potestas est cuilibet ciui, aut urbis incolae, coram duobus pluribusue minoris aut maioris senatus Nominatis (*Genannten des kleinen oder grössern Raths*) testamentum suum faciendi, quod uel ab alio, uel a testatore ipso scriptum, hi Nominati testatori prelegunt, et extrinsecus obsignant. Unus ex his, cui testator testamentum clausum tradidit, id in domo sua recondit^{f)} mortuoque testatore tabulario publico exhibet^{g)} tenet.

C 3

Quod si



Quod si testator testamentum ab eo repetit, hoc nulli alii, quam ipsi reddendum, sigillaque antea soluenda sunt¹⁾. Formulas testamentorum omnium authenticas, sibi in tablino seruat magistratus: iis autem, quorum interest, apographum in membrana, sigillo ciuitatis munitum, conceditur.

- a) IOACH. GE. DRIES in Diff. de acquisitione hereditatis eiusque effectibus secundum ius nat. CLAPROTH in der Abhandlung, ob die Testamente nach dem Rechte der Natur statt finden?
- b) de mor. Germ. C. XX.
- c) SCHACHER de restricta testatoris potestate Perill. a SENKENBERG de testam. publici origine et sollemnit. extrinsecis.
- d) KOPP de testam. Germanor. HEINECCIVS de testam. fact. iur. German. arct. limitibus circumscripta.
- e) L. I. tit. 29.
- f) Decret. addition. d. 23. May CIOIDCLXXV.
- g) Decret. add. d. 25. Oct. CIOIDCCLIV.
- h) Vide die Genannten Pflicht in comment. ad Ref. Nor. lib. V. l. I,
- i) VVAGENSEIL l. c. cap. 27.

Obseruatio III.

NUM TESTAMENTVM IVRE NORICO CONDITVM AD
PVBELICA EA QVE IUDICIALIA AN AD PRIVATA
MINVS SOLLEMNIA REFERENDVM.

Testamenta uel publica constituantur fide, uel priuata auctoritate; indeque in publica et priuata diuiduntur. Vtrunque testamentorum genus in duas rursus dispescitur species: scilicet testamenta publica in iudicialia, et principi oblata; priuata in sollemnia et minus sollemnia diuiduntur. Oritur iam quaestio haud domitiana, quam ad clas-

classem testamentum iure Norico conditum referendum sit? Sunt, qui tale testamentum pro publico eoque iudiciali habeant: quia, ut dicunt, in omnibus paene rebus huic conuenit. Alii testamentum iure Norico factum ad minus sollemnia referunt: quia ex eorum sententia requisita testamenti minus sollemnisi testamenti factioni iure Norico usitatae magis respondent. Namque in testamentis coram ciuitatis decurionibus conditis, inter alia requisita, senatus a testatore, uel alio eius nomine rogandus est, ut afferribus iniungere ex officio uelit, ut testamenti factioni nomine iudicis uel senatus adiut, adhibendus est Notarius, qui ad mandatum testatoris, praesentibus senatoribus, uoluntatem eius exponat, uel testamentum antea compositum et scriptis comprehensum recitet et relegat. Contra ea secundum LL. Noricas in arbitrio potius testatoris sicutum est, ex Nominatis illis pro duobus testibus testamentariis eligere quem uelit, etiam si rogatus non fuerit senatus. Nec Notario opus est: quia alter ex his ipsis testibus, altero simul inspiciente, testamentum legere, testatorem de eius uoluntate, an in ea perfest, interrogare, et postea sigillo munire suo tenetur^{a)}). Ego uero sententiae accedo eorum, qui testamentaria iure Norico condita in numero minus sollemnium reponunt, praesertim cum, praeter istam conuenientiam, ipsae leges Noricae modum testandi ibi praescriptum iudicialibus testamentis opponant, hacque ratione in loco testamentorum priuatorum, minus quidem sollemnium, ponant. Quod fieri eo melius potest, cum tali testamento nihil inde derogetur, sed hoc eodem gaudeat uigore, quo, ad publica si referretur, ualeret.

a) WVRFBAIN l. c. p. 222.

Obserua-

Obseruatio III.

DE TESTAMENTIS SVEDITORVM EXTRA NORIM-
BERGAM COMMORANTIVM.

Testamenta subditorum extra urbem degentium apud acta recondita, ad publica eaque iudicitaliter insinuata referenda sunt^{a)}. Testator scilicet rusticus coram praefecto iudicione ultimam suam uoluntatem exponit, quae ad acta reponitur; uel domi coram duobus iudiciorum personis (*von zweyendes Raths, oder Gerichts-Schöpfen*) et actuario hunc ad finem rogatis, remotis arbitris, declarat eam, quae in aduersaria s. protocollo refertur, et apud iudicium condit^{b)}. Silentio tamen haud praetereundum est, rusticos Noricos ad hunc testandi modum obstrictos non esse, sed iis licere, testamenta sua coram duobus Nominatis componere^{c)}. Quod uero ad aperturam publicationemque attinet, notandum est, testamenta haec Norimbergensium ruri, uel in suburbii, Woehrdensi et Gostenhofensi, degentium, praesentibus duobus Nominatis, facta dominis suis emphyteuticis (*denen Eigenberren*) iudicione Woehrdensi, et praefecture Gostenhofensi inaperta ad publicationem e grammato phylacio exhibenda esse^{d)}.

a) Vid. 10. DANIEL LUGENHEIM, I. V. D. et reip. patr. *Advocatus, in diff. inaugurali de testamento iudiciali per repetitionem ab actis confirmato.* Alt. 1771.

b) Modum hunc testandi ad uerbum descriptum inuenies in decreto addit. A. 1692. d. 1. Iul.

c) Conf. Decret. Addit. A. 1606. d. 24. April.

d) Vide sis Decret. Addit. A. 1676. d. 7. April. A. 1695. d. 16. Sept. A. 1716. d. 18. Iunii. A. 1731. d. 9. Nou.

Obserua-

Obseruatio V.

AN PER GENVS TESTANDI NORICVM MODVS TESTA-
MENTA SECUNDVM IVRIS CIVILIS REGVLAS
CONDENDI ABOLITVS SIT.

Audio, quemdam ex me quaerere: an per modum duobus coram Nominatis supraea sua ordinandi forma testandi, a iure Romano praecripta, sublata sit? Cui autem in aurem dicere cogor, hanc numquam fuisse legislatoris mentem. Contraria potius patet ex L. I. §. 6. T. 29. Ref. Noricae, ubi diserte cautum: „So aber yemand sein Testament und letzten Willen nach Ordnung gemainer geschribnen Kaiserlichen Recht, aufrichten wolt, das soll jme unbewomen sein etc.“ Verum enim uero ob uaria sollemnium testamentorum incommoda, numerosas in iis condendis obseruandas sollemnitates, nouum eumque faciliorem coram duobus tantum Nominatis testandi modum, testamenta, obseruatis iuris Caesarei sollemnitatibus, scripta in foro Norico rarius hodie apparent. Quae uero si scribuntur, iudicio tutelari (*dem Vormundant*) statim tradenda sunt. Hinc omnibus aduocatis, notariis et scribis praecriptum est, ut, si quis, praesentibus ipsis, condere testamentum eiusmodi sollempne uellet, aut, si notitiam haberent, tale hic factum esse, id ad iudicium tutelare perferrent^a). Quod ad iudicialia, aliaque priuilegiata, in quibus uel omnes uel nonnullae remittuntur sollemnitates, attingit testamenta, haec per modum testandi Noricum similiter non abrogata sunt^b).

a) Conf. Decret. addit. A. 1722. d. 28. Ian.

b) Comment. in Ref. Nor. P. III. p. 9.

D

Obser-



Obseruatio VI.
AT 21 T 2 DE TESTAMENTO NVNCUPATIVO.

De prima testamentorum sollempnium priuatorum specie, satis iam, ut opinor, a me dictum est. Quod ad alteram attinet, hic ante omnia quaestio saepius intricata: num testamentum mere nuncupatiuum, duobus coram Nominatis secundum ius Noricum conditum, ualidum sit? in considerationem uenit. Quodsi enim leges nostrae domesticae modum testamentorum scriptorum praefinientes de nuncupatiua testamenti factione expressis uerbis mentionem quoque mouissent, res haec extra omnem dubitationis aleam posita esset. Ast de testamentis mere nuncupatiuis diserte nihil constituerunt, dubitationemque apud nos reliquerunt. Hinc factum, ut scripturam, paelectiōnem, et obsignationem, ceu breuioris testandi modi essentiam, ad nuncupatiuum quoque testamentum requiri, arbitriati sint alii; alii testamentum mere nuncupatiuum condi duobus coram Nominatis posse, censuerint. Quodsi aequitatis, iuris analogiae, aliorumque Germanicorum statutorum ^{a)} habeo rationem, nullus dubito, quin sententiae adsentiar eorum, qui testamenta mere nuncupatiua praesentibus duobus Nominatis condita ualere aiunt ^{b)}. Aequitati, iurisque analogiae consentaneum est, ut breuiore testandi modo legibus concessio, tam in nuncupatiua, quam scripta testimenti factione, utamur. Haud raro enim temporis rerumque ratio ita fert, ut non possimus non sine libro ac tabulis ultimam nostram exponere uoluntatem. Nihil igitur ratione validitatis interesse statuo, utrum testator supremam suam uoluntatem in scriptis, an uerbis ore prolatiis, nulla accidente scriptura et obsignatione, coram duobus Nominatis declareret. Vtrumque testamen-

ftamentum tanti est ponderis, quanti esset, si, adhibitis singulis in iure ciuili tequisitis sollemnitatibus, conditum esset.

- a) e. gr. Reform. Wormatiens, lib. IV. tit. III. Statuta Lubecens, lib. II. tit. I. Ius prouinciale Electoratus Palat. P. III. T. III. art. V.
- b) Conf. Laudatus IO. MICH. FRIDER. LOCHNER in selectis iuris universi p. 442. item IO. IVSTINVS CARL, Doct. et reip. patriae Syndicus, in diff. inaug. de ualiditate testamenti nuncupatiui coram duobus Nominatis conditi. Alt. 1770.

Obseruatio VII.

DE TESTAMENTIS PARENTVM INTER LIBEROS.

Transeo ad testamenta priuata minus sollemnia, inter quae testamentum parentum inter liberos primum hic occupat locum. Haec in iure maxime priuilegiata testamenta, praesentibus duobus Nominatis, rite quoque componuntur. Quamquam enim testamentum a parentibus ipsis scriptum subscriptumque iure iam ciuili sine ullis testibus, modo ex scriptura de parentis constet uoluntate, subsistat: id tamen in scripturam haud redactum duos ad minimum testes requirit. Maximum uero usum adfert duorum Nominatorum testatio, quaestione in medium prolat: num legatum personae extraneae in tali testamento relictum, ualidum sit? Ius ciuile, si pater testator tali in testamento iis, qui non sunt in numero liberorum, relinquere legatum aut fideicommissum uult, praesentiam quinque testium exigit^{a)}. Cum uero iure Norico, duo Nominati sufficient, quoties ius Romanum plures requirit testes, sequitur, ut legata, extraneis personis in testamento parentum inter liberos coram duobus Nominatis condito relata, ualida sint.

D 2

a) Cf.



a) Cf. HARPRECHT de admixt. extran. person. in disposit. parent. inter liberos. STRYK de cautel. testam. c. XXI. §. 24.

Obseruatio VIII.

DE TESTAMENTO TEMPORE PESTIS CONDITO.

Priuilegium porro iure Iustinianeo est testamentum tempore pestis factum eatenus, ut id coram septem testibus, licet non consociatis, ualide condatur^{a)}. Addunt Doctores, ex moribus etiam duos testes, sequioris quamuis sexus, sufficere^{b)}. Quod ad patrium attinet ius, L.I. §. 4. T. 29. Ref. Nor. cautum est: *dass in Zeit der besorglichen Sterbsleufden, da die des kleinern oder groessern Raths, fueglicher nit zubekommen, Soll den Testierenden zugelassen sein, vor andern zweyen glaubwürdigen Zeugen Manspersonen, jre Testament und letzte willen aufzurichten.* Ea tamen addita est lex, ut testes in testamento tempore pestis condito adhibiti, munereque Nominati haud fungentes, mortuo testatore, coram ciuitatis iudicio se sistere, et iureiurando, testamentum ipsis praefentibus, et sine ulla fraude fallaciaque conditum esse, confirmare teneantur. Sed testibus ruri se continentibus decreto addit. a. CICLOXXXV. d. 25. April. comparitio coram ciuitatis iudicio remissa est, ea tamen conditione, ut iusiurandum coram praefecto magistratuum suo praestent. Interrogatoria, ad quae testes hi, dato iureiurando, respondere tenentur, decreto a. CICLOXXXVIII. praescripta, haec sunt: 1) num testamenti factioni testes interfuerint? 2) num a testatore ipso testes rogati sunt? 3) num testator tunc temporis integrae sanaeque fuerit mentis? 4) num testator omnia haec, quae ipsis praefentibus conscripta sunt, tanquam supremam suam uoluntatem agnouerit, et uerbis disertis declarauerit.

a) l. 8.

- a) l. 8. C. de testam.
 b) STRYK l. c. cap. XI. §. 3. MEVI ad ius Lubec P. II. T. I. art. 2. n. 44;
 GAIL P. II. O. 118. n. 18. MYNS. cent. I. obf. 59.

Obseruatio IX.

DE COECI TESTAMENTO.

Carentes uisu iure ciuili non alter ualide condunt suae
 moderamina supremae uoluntatis, nisi persona heredis
 perspicue demonstrata, adhibito, praeter septem testes,
 quos aliis quoque testamentis interesse iuris est, tabellio-
 ne uel teste octauo, omnibusque subsc̄ribentibus et signan-
 tibus. Sed L. II. §. fin. T. 29. Ref. Nor. sollemnitas
 haec testandi coetis remissa, et suprema ordinare sua uel
 coram duobus minoris maiorisque senatus huius civitatis
 Nominatis, uel apud acta permisum est. Pleniore super-
 federe huius argumenti elaboratione possum, cum hac in
 re otia mihi fecit *consultif. et de republ. nostra meritissimus Consiliarius*, d. TOB. HVTH, in diff. inaug. de testamento
coeci ad illuſtr. text. Ref. Nor. Tit. 29. L. 2. Altorf. 1757.


Obseruatio X.

DE SPECIALI TESTAMENTA FACIENDI PRIVILEGIO A DIVO IMP. MAXIMILIANO I. GENEROSISSIMAE OELHAFENIORVM FAMILIAE CLEMEN- TISSIME CONCESSO.

Generosissima omniq[ue] laude in urbe patria Norim-
 bergensi florenſissima Oelhafeniorum familia gaudet facul-
 tate, ultimas uoluntates condendi citra omnem in iure p[re]a-
 scriptum sollemnem ordinem et formam, si duo saltem, uel
 tres, bonaे existimationis testes, licet non specialiter ad
 hunc actum rogati, adh[ibe]antur. Quem singularem te-

D 3

standi



standi modum BERNHARDVS PRAETORIVS, *Reip. Nor.*
Syndicus, concinne his uersibus concepit^{a)}:

Sexus utriusque futuris
 Oelhafsiis, tempus concessit in omne fruisci
 Libertate noua, ut ualeant follemibus absque
 Iure requisitis communi, condere mentis
 Sensa extrema suae, quo uis ualitura locorum,
 Vitae inculpatae, fideique modo duo testes
 Aut tres ad summum, si accedant accelerati. --


Nam SIXTO OELHAFFEN, trium glorioissimae memoriae Imperatorum FRID. III. MAXIM. I. et CAROLI V. consiliario domestico, MAXIMILIANVS I. a. CICIVII. d. 18. Ianuar. in urbe Oeniponte gratiosissime indulxit priuilegium hoc, cuius apographum, quod publici iuris nondum factum est, data hac occasione primum in uulgo edo^{b)}. Autographum eius Generosiss. CAROLVS CHRISTOPHORVS OELHAFFEN a Schoellenbach et Lissmannsberg etc. Forefia ad D. Sebaldi praefectus uigilantissimus, splendidae familiae senior grauissimus, de re publ. ac litteraria optime meritus, pro sua, qua pollet, singulari humanitate, ex familiae tablino cum parente meo beneuole communicauit, id quod grata mente publice hic profiteri honori mihi duco.

a) WVRFBAIN I. c. p. 228. Add. M. s. I. APIN. in uitis et effigiebus Procencell. Acad. Altorf. p. 17.

b) Ita se habet: MAXIMILIANVS diuina fauente Clementia Romanorum Rex semper augustus ac Hungariae Dalmatiae Croatiae etc. Rex Archidux Austriae Dux Burgundiae Brabantiae etc. Comes Palatinus etc. Nostro et Imperii sacri fidelis dilectio Sixto Olhaffen Secretario nostro gratiam regiam et omne borum. Cum sepe uariis desuetudinibus et erroribus defectibusque ultimae voluntates subuertantur, hoc preserim

❧❧❧❧

sertim praetextu quisi defundorum bona sub diversis locis et consuetudinibus sita diuerso iure debeant censeri, et uno loco Testamentum, siue quaecunque ultima condita voluntas ad alterius loci vel iurisdictionis bona, vim suam minime extendat super quo tibi usque prouidere volentes, de plenitudine Regiae potestatis nostrae tenore praesentium statuimus et ordinamus ut tu et filii, ac heredes tui masculi et feminae ex te nati et nascituri in perpetuum liberam et absolutam potestatem habent, circa quamcumque Iuris vel consuetudinis generalis vel specialis, solennitatem vel ordinationem Testamenta sua ultimas voluntates quacunque dum et quotiens ac quoconque tempore, tibi et illis libuerit faciendi, ordinandi ac condendi, illaque iterum reuocandi et de novo condendi totiens quotiens tibi et illis viam fuerit opportunum. Ita quod ultima condita et per te seu illos ordinatum manu tua vel illorum propria scripta et sigillo tuo vel illorum sigillatum in praesentia duarum aut trium honestarum et bonae famae personarum circa solennitatem facta, dum tamen praedicto modo de voluntate tua vel praefatorum constet, vim effectum et executionem habeant in quibuscumque locis districtibus et iurisdictionibus etiam diuersis et in quibus diuersae consuetudines usus sive obseruantiae fuerint, tanquam si cum omni solennitate et festinitate a iure inducis et secundum locorum consuetudines atque obseruantias condita fuerint, neque teneantini adhibere numerum Testium aut alias iuris solennitates obseruare, Volentes expresse quod heredes instituti vel legatarii hereditates vel legata taliter relixta adire et bona ubicunque sita apprehendere et consequi possint et valeant. Non obstantibus quibuscumque Legibus Constitutionibus, ordinationibus, Consuetudinibus, statutis aut Iuribus generalibus vel specialibus sub quacunque verborum forma et Claujulis etiam derogatoriis vel derogatoriis derogatoriis conceptis quibus omnibus et singulis etiam si talia vel tales forent quae deberent hic exprimi et de quibus in praesenti nostro Indulto de verbo ad verbum mentio fieri specialis de plenitude Regiae potestatis nostrae ex certa scientia et motu proprio praesentibus derogamus et derogatum esse volumus quod si qua publica priuatae persona aut Corpus vel Communitas Testamenta sive voluntates ut supra per te filios aut heredes tuos factas sive fiendas impugnare, aut eorum vim et executionem impidere praejmpserit commodo hereditatis vel legatorum careat intestabilis sit, et practerea poenam Quinquaginta-



quaginta Marcharum auri puri totiens quotiens contrafaldum fuerit,
eo ipso factō se nouerit incurrisse pro dimidia Cameræ nostræ. Pro alia
vero dimidia ei vel eis in cuius uel quorum praeiudicium Testamentum
sue voluntas impugnabitur, vel effectus impedietur applicanda: Ha-
rum Testimoniō literarum Sigilli nostri appensione munitarum: Datum in
Oppido nostro Inpruck Die Decima Octaua Ianuarij Anno domini Mil-
lesimo Quingentesimo septimo: Regnorum nostrorum Romani Viceſimo pri-
mo Hungariae uero Decimo septimo.

Obſeruatio XI.

DE CHARTA SIGNATA IN CONSCRIBENDIS TESTAMENTIS ADHIBENDA.

Generatim ratione testatorum praesentibus duobus Nominatis conditorum, aequo ac reliquorum ultimorum uoluntatum generum annotandum est, dispositionem supremæ uoluntatis in charta signata (*auf ordentlichem Stampfpapier*) conscribendam esse. Quaestio igitur hic nascitur haud iners: an testamentum chartae mandatum haud signatae nullum ideo irritumque sit? Exstant hac de re et antiquiora et recentiora Perilluſtris Senatus decreta. Illa, a. CICICCLXXXX, CICICLXXXVII, CICICCCIII, lata, teſtamentum in charta, cui ſignum haud impressum publicum, conſcriptum, nullum declarant. Aſt decreto a. CICICCLXVII. d. 13. Oct. dato, et d. 1. Decemb. publicato, aliter ſtatutum eſt, ita, ut uoluntates defunctorum ea ex ratione non euertantur, ſed ordinatioſis ratione chartarum ſignatarum datae defraudatores, pro re nata, mulcta puniantur. Non abs re erit, uerba ipsius decreti cum b. lectorē com-
municare, quae ita ſe habent: *Wofern ſich jemand dem Ge-
brauch der vier obbeschriebenen Sorten des Stampfpapiers in sei-
nen Handlungen und Geschäften eigenmächtig entzieben, mit-
bin gegen diese Ordnung mutwillig handeln würde; fo
iſt*

ist ein Hochlöbl. Rath nicht gesinnet, bey der in der Ordnung
de Anno 1690. inssonderheit aber in der Stampf Ordnung de
Anno 1697. wie auch in dem Mandat de Anno 1703. bierauf-
geetzter Poen der Nullität fernerhin zu bestehen; sondern will
solche Handlungen, Instrumenta und Briefschaften, wenn sie
schon auf ungefämpelt Papier niedergeschrieben worden, gleich-
wohl bey ihren Kräften und Gültigkeit, die ihnen sonst zu-
kommen mag, bestehen lassen: allein solche vorzetzliche Contra-
uenienten sollen, wosfern man der Stampf- Defraudation über-
lang oder kurz gewahr wurde, nach Beschaffenheit der Taxe ei-
ner jeden Sorte, die sie zu gebrauchen verbunden gewesen wä-
ren, nebst dem Ersatz des abgängigen Stampfs für jeden Bo-
gen, von zween Thalern bis auf einen Gulden zu bezahlen
schuldig seyn: allenfalls auch nach Beschaffenheit ihres Ver-
schuldens, mit einer noch höhern Strafe belegt werden. Wie
dann auch diejenigen, so zwar nicht als mutwillige Ueber-
treiter dieser Ordnung anzusehen sind, doch eben aus Nach-
lässigkeit dawider handeln, zu Ersatz und Nachzahlung der
Taxmäßigen Stampf- Gebühren einfach angehalten; nicht min-
der gestallten Dingen nach, die Sacbwalter, Anwälde, oder
andere rechtliche Beystände hierinfalls ihre Partheyen zu ver-
treten, und die Strafe für sie zu geben, angewiesen werden
sollen, und somit ihre Nachlässigkeit, falls sie etwan auswärtige
oder andere, dieser Ordnung nicht vollkommen kundige Per-
sonen, gebührend zu warnen unterlassen hätten, zu büßen ge-
wärtigen müssen.

Obseruatio XII.

AN NOMINATVS IN TESTAMENTO HERES INSTITVTVS
TESTIS ESSE IN EO SIMVL QVEAT.

Aut me omnia fallunt, aut doctrina testamentorum
utilissima, et in foro frequentissima est. Facere igitur
E non



non possum, quin nonnullarum hoc ad genus spectantium mentionem adhuc faciam quaestionum, easque, quantum possum mihi licet, expediam. Prima esto diffusa et in causa Blendingeri, med. doctoris, contra Boehmeros ualde litigiosa quaestio: an Nominatus in causa propria, aut testamento, ubi ipse heres institutus est, signare ualide, testisque esse posit? Eueniebat nempe, ut Erhardus Iacobus, Norimbergensis, uoluntatis moderamina suae, obseruatis L. I. et H. Tit. 29. Ref. Nor. praescriptis sollemnitatibus, praesentibus duobus Nominatis, a. 1500CCXIX. a. d. 29. Aug. conderet. Hoc litteris mandatum, testatori praefenti praelectum, et a testibus obsignatum testamentum unus ex Nominatis seruabat, et testatore sub initium Martii annos quatuor et octoginta habente mortuo, a. d. 10. eiusdem mensis tabulario tradebat. Fratres, Ioannem Nicolaum, et Ioannem Iacobum Boehmer, ciues mercatoresque Norimbergenses, heredes ex asse fecit testator. Testes adhibuit Ioannem Laurentium Lang, et Ioann. Nicolaum Boehmer, qui coheres in tabulis testamenti institutus est, testamentum ex manibus testatoris acceptum seruabat, eoque mortuo, tablino tradebat. Nullitatis querela aduersus testamentum hoc ab Abrahamo Blendinger, med. Doctor, testatorisque Iacobi propinquo proximo instituta, cardo rei in decisione uersabatur quaestio: an Nominatus in testamento heres institutus testimonium dare ualide queat? Quae pro affirmativa sententia in medium proferebantur argumenta, in summa haec erant.

I. Quaestio: an heres testamento institutus testis in eo esse queat? si de enixa uoluntate testatoris heredem testem uolentis constet, magis iuris, quam uoluntatis est, hincque eo magis affirmanda.

II. Ci.

- II. Ciuiibus Noricis a multis retro saeculis peculiariſ teſtandi modus a LL. Rom. earumdemque rigore plane declinans et abhorrens concessus eſt.
- III. Interpretatio legum Noricarum ſuppletoria, in praefenti negotio testamentario, ex iuſteris iuris Rom. ſubtilitatibus hauriri non potest.
- IV. Interpretatio priuilegiorum ex iure ciuili deducta uel naturae eorum repugnat.
- V. Subtilitates et tricae iuris Romani, si heres testamento institutus testis in eo eſſe non poſſit, per breuem testandi modum in Ref. Nor. introductum, nondum remotae eſſent.
- VI. Prohibitio testimonii testamentarii ratione heredis in testamento scripti, ob fictam personarum testatoris et heredis unitatem, purum iuriſ ciuilis commentum eſt.
- VII. Ipsos Romanos testimonium heredis in testamento instituti non ignorasse, uulgatum non tantum testandi genus per aes et libram euincit; ſed et Cicero iam de ſuo aevo teſtatum id reliquit „Testamentum, in orat. „pro Milone inquiens, ſimul oſſignauit cum Clodio; teſta- mentum autem palam fecerat, et me et illum heredem ſcri- pferat.
- VIII. A priuato ad publicum teſtamentum nulla ualeat conſequentia. Nominati in omnibus ciuilibus actibus, ſeu mortis cauſa, ſeu inter uiuos fuſceptis, totum repraeſentant magistratum: hinc quae ab iſpis acta auctoritatis tantum, quantum coram magistratu geſta, habent. Abſurdum vero non eſt, iudicem, ſive teſtes eiusmodi folleſnes, in locum iſpſius ſuccedentes, duplicem perſonam heredis ſcilicet et teſtis ſuſtinere poſſe.



VIII. Commodum quod Nominatus, ceu testis et heres institutus, ex testamento coram ipso condito capit, auctoritatem eius iudiciale non debilitat; cum iuriurandum, quod ab initio suscepit officii praestitit, ipsum ab omni sinistra liberet suspicione.

X. In priuatis testamentis res est meri arbitrii, quem sibi testator testem eligere uelit, quod qualitas testimoniū in fauorem testatoris sit introducta, cui renunciare semper ipsi integrum.

XI. Omnis benigna interpretatio, quoad fieri potest, pro sustinendis ultimis uoluntatibus iisque adiuuandis et splendis capienda est. *L. XXX. C. de inoff. testam. L. ult. C. de fideicom.*

XII. Forma testamentorum condendorum in Ref. Nor. ad terminos seu simplicitatem iuris gentium, et naturalem redacta est aequitatem.

XIII. Lex testimonium expresse prohibens testamentarium non adest.

Sed rationes pro negatiua sententia adducendae ponderis sunt omnino maioris. Nam

I. Si testamenti factio, cuius pars testimonium est testamentarium, iuris magis quam uoluntatis est: sequitur, ut ius scriptum, quod testimonium testamentarium heredi interdicit, uoluntati testatoris heredem testem cipientis praeponendum sit.

II. Modus testandi iure Norico permisus non tantum abhorret a iure communi, ad quod LL. Noricae, sollempne secundum ius commune testandi genus non prohibentes, sed potius expresse permittentes, saepius prouocant. Ex quibus

III. col.

III. colligitur, interpretationem LL. Noricarum super
pleroriam, praesertim in caussis, quae a iure Romano
originem trahunt suam, ex iure ciuili et LL. Impe-
rii hauriendam esse.


IV. Caesarea regiaque priuilegia, quorum u. c. L. I. Tit.
29. Ref. Nor. mentionem facit, non tam de breuiore
testandi modo Norico, quam in genere de priuilegio
iura condendi opidana, intelligenda sunt. Quam ob
caussam interpretatio nostra in specie ex iure ciuili de-
ducta, priuilegiis his non repugnat.

V. Tricae subtilitatesque iuris ueteris Romani iam Scaeuo-
lae, nedum Iustiniani, temporibus nullius fuerunt mo-
menti. Qua de re ICtus Vlpianus L. XX. pr. D. qui
test. fac. poss. testimonium heredis testamentarium eo
maiore iure prohibet. Quid? quod tricae et lites, si
heres in eodem testamento, quo institutus est, testis es-
se possit, non minuuntur, sed cumulantur.

VI. Quamuis prohibitio testimonii heredis testamentarii
figmentum iuris Romani redoleat, quod astleri de omnibus
testamentorum sollemnitatis posset; exinde ta-
men non sequitur, ut heres in testamento institutus
testimonio confirmare suo id queat. Adde, quod praet
er personarum testatoris et heredis unitatem, quam
non solum §. X. Inst. de testam. ordin. L. LIIII. D. de
ac. l. omitt. hered. L. CLXXXIII. D. de R. I. sed et ipsa
Constitutio Imp. MAXIMILIANI de notariis a. CICIOXII.
lata, cap. von Testamenten agnoscant, ratio L.f. C. de
fideic. contenta ad prohibitionem testimonii heridis te-
stamentarii spectat. Ibi enim: cum res per testium sol-
lemnitatem offenditur, tunc et numerus testium, et nimia
subtilitas requirenda est.

E 3

VII. Ci-




VII. Cicero loco supra allegato de testamento, quod fiebat per aes et libram, loquitur. Cui autem ignotum est, testamenti factionem per aes et libram iam ante Vlpiani tempora abrogatum esse? Ex quo conficitur, Vlpianum L. XX. pr. D. qui test. fac. poss. ad testamenti factionem, quae hodie adhuc in usu est, respicere. Iustinianus quoque §. I. Inst. de Testam. ord. ius antiquum a nouo separat, et testamenta per aes et libram in usu esse desisse, disertis uerbis docet.

VIII. Testamenti publici species sunt, testamentum principi oblatum, et actis publicis insinuatum. Testamentum coram Nominatis conditum hic non referendum est: ergo id ex priuati natura diiudicari potest. Nominati autem in actibus mortis cauſa et inter uiuos auētoritate tantum testimoniali gaudent, iurisdictionis non sunt capaces, et tanquam testes ueritatis ac sollemnitatis gratia adhibentur. Hinc quod L. I. Tit. VII. Ref. Nor. praeceptum est, applicari ad eos optimo iure potest.

VIII. Testimonio in propria cauſa admissio, omnibus dolis ac fraudibus fenestra aperitur. Vid. HARPRECHT in disp. de testim. testam. heredi interd. tb. XXXXVIII. In numero testimiorum binario secundum ius Noricum concessio, maior, quam in septenario, quem ius ciuile testimonium heredis testamentarium nihilominus prohibens requirit, nascitur suspicio, a qua ne iudicis quidem persona libera est. Vid. COCCIVS in disp. de iudice in propria cauſa. Nam propter commoda uel incommoda contractus aut delicti iudex ipse fungi officio suo impeditur.

X. Quam-




X. Quamuis ultimarum uoluntatum maximus sit fauor in iure nostro , tantus tamen non est , ut possit rationem aut legem uincere , *L. LV. de Legat. I.* Quare testamento suo testator non potest derogare iuri publico , iurisdictioni , sollemnitatibus , statutis . Vid . *L. XXXXV. §. I. D. de R. I. L. XXXVIII. D. de p̄st. L. III. D. qui test. fac.* Ut autem eiusmodi testatoris dispositio instar legis sit , hoc non ex se habet , sed ex confirmatione ipsarum legum . *L. CXXX. D. de V. S.* Fauori quidem suo renunciare quilibet potest : ea tamen lege , ut res , de qua agitur , ipsis renunciantis tantum , non alterius fauorem concernat , *cap. V. de arbitr.* Id quod ad testamentorum applicandum est sollemnitates , quae non solum in testatoris , sed et heredum fauorem introductae sunt .

XI. Fieri non potest , ut testamentum coram duobus Nominatis , quorum unus in eodem heres scriptus est , conditum , contra ius et rationem subsistat .

XII. Iuris gentium et ueteris Germanici simplicitas in doctrina de testamentis Nominatorum testimonium , testamentorum preelectionem , obsignationem aliaque in testamentis secundum ius Noricum condendis obseruanda praecepta , aequa ac ciuilis juris sollemnitates ignorat . Ecquis autem exinde colligeret , priuilegium testandi modum Noricum , Romano licet simpliciorem , uertustissimo Germanorum testandi mori aequiparandum esse .

XIII. Verisimile est , legislatores Noricos prohibitionem expressam testimonii heredis testamentarii superuacan- am habuisse , dubitantes , fore , ut quis in testamento , quo heres institutus est , posthabitatis rectae rationis et iuris



juris civilis legibus, testimonium perhibeat. Praeterea heredem in testamento, quo institutus est, testem iure quoque Norico esse non posse, porro exinde patet, quod Scto a. CICIOCLXXXIII. a d. 20. Aug. et 20. Nou. notariis adeo et scribis interdictum est, ne legata testamento, quod sua scripserunt manu, ipsis relicta, aut se ad inuentaria olim conficienda, aut testamenta exsequenda adhibendos esse, manu scribant sua, sed praecipsum iis est, ut talia a testatore ipso, uel Nominitis testibus scribi curarent. Accedit, quod iura ciuica, quae de specie nostra expresse nihil disponunt, ita interpretanda et intelligenda sint, ne inconueniens inde sequatur, neue per ea laedatur ius commune: sed ut eidem conformia reddantur, ex eo declarentur, et suppleantur. Et cum ea strictissimae sint interpretationis, casus iis non comprehensus secundum iuris communis regulas diiudicandus est. STRYCK de caut. testam. cap. XVII. MASCOV. in diff. de iis, qui sibi adscribunt in testamento, ad explicationem Scti Libomani et Edicti D. Claudii Lips. 1731.

Rationes hae pro neganda supra proposita quaestione adductae, tanti quoque fuerunt momenti, ut in causa allegata ab utroque litigante acerrime defensa, Blendinger, med. doct. uictoriam reportaret. Nam cum in prima, tum secunda instantia iudicij nostri negativa aduersus Boehmeros lata est sententia, quae, interposita ad iudicium Caesareum aulicum appellatione, confirmata, atque instituto adeo reuisorio ibidem comprobata est^{a)}.

a) Debeo magna ex parte obseruationem hanc libello parum obui, cui titulus: *an die R. K. M. allerunterthänigst - geborsamstes Gegen - Vorstellen und bitten exceptionum loco, pro clementissime confirmanda sententia*

*Sententia die I. Decembris CCCCXXIX. lata, revidirten Anvalds
in Sachen Blendinger nunc dessen Erben contra Böhmere. -- Sententiae
nunc reuisionis. in folio, sine anno.*

Obseruatio XIII.

**AN NOMINATUS QVI TESTAMENTVM MANV SCRIPSIT
SVA, TESTIS IN EO ESSE POSSIT?**

A quaestione obseruatione antecedente pertractata non aliena est haec: an testium numero habendus sit Nominatus, qui cum rogatus est ad testamentum scribendum, idem quoque, cum tabulas scripsisset, signauerit? Non est uero, quod quaestioni huic perleui longe immorer. Mentionem solummodo mouere de ea uolui, cum Celso autumans, testimonium eius, qui ad testamentum quoque scribendum rogatus id fecit, in dubium uocare posse neminem.^{a)}

^{a)} L. XXVII. D. *qui testam. fac. poss.* Conf. quoque *Celeberr. AVG. FRID.*
SCHOTT in diss. de quaestione domitiana in leg. XXVII. D. *qui test.*
fac. poss. Lips. 1771.


Obseruatio XIV.

**NVM FORENSIS QVI NORIMBERGAE MORATVR
CORAM DVOBVS NOMINATIS VALIDE QVO-
QUE TESTARI POSSIT?**

Si qua de re doctores inter se dissident, quaestione, an testamentum forensis coram duobus Nominatis conditum in terris quoque exteris ualidum sit? in medium prolatu, in alia omnia discedunt. Operae igitur pretium duco, argumenta eorum, tam pro asfirmando, quam neganda quaestione hac adducta, proponere, illustrare, et inter se conferre: ne rationes solum eorum, quibus mea

F

pro



pro parte suffragor, in medium afferens, aliorum autem cauſas in silentio reponens, partium studio abreptus efſe uidear. Qui testamentum peregrini, praefentibus duobus Nominatis, conditum pro inualido habent, his praeципue utuntur rationibus.

I. Testamentum extranei coram duobus Nominatis compositum in dubium uenit, ideoque consultius est, peregrinum secundum ius commune suprema sua ordinare.

II. In cauſa G. R. contra P. R. testamenti executores, inclitum collegium ordinis iurid. Acad. Ingolſtad. et D O NELLVS, celeberrimus Ictus, singulare Acad. Altorf. quondam ornamentum, responderunt, ex ea praecepue ratione, quod testamenti factio iuris sit publici, nec priuatorum auctoritate et uoluntate immutari posſit. Secundum quas responsiones eadem in cauſa sententia in prima instantia pro ualore talis peregrini testamenti d. 26. Iun. a CIOCLXXXVIII. lata a perillustri Senatu, tanquam iudice ad quem, in secunda d. 18. Decemb. CIOCLXXXX. reformata est. Quam sententiae retractionem postea etiam iudicium camerale d. 16. Feb. CIOCLXXXIII. confirmauit.

III. Reformatio Norica de ciuibus tantum et incolis, decreto uero additionale a. CIOCLCVI. d. 24. April. de subditis solum extra urbem uiuentibus mentionem mouet, indeque excludit extraneos, quorum testamenta coram duobus Nominatis composita hac ex ratione pro inualidis usque eo habenda sunt, donec inclitus Senatus in eorum fauorem aliud exprefſe decreuerit.

IV. Verendum est, ne, modo coram duobus Nominatis testandi extraneis conceffo, hi ex fraude et mala fide Norimbergam petant, suprema sua ibi ordinaturi.

V. Pri-

V. Priuilegia , quorum ipsae leges Noricae mentionem faciunt, et quibus breue testandi genus incolis tantum permittitur, ad peregrinos non extendenda sunt.


VI. Iura opidana ad eos , qui alienae sunt ciuitatis , non spectant, ideoque hi priuilegiato testandi modo Norico uti non possunt.

Verum enim vero rationes pro affirmativa sententia adducendae ualidiores mihi uidentur. Nam ad negatiuas modo propositas responderi potest :

I. Non quaeri hic, num consultius agat extraneus testamentum suum coram duobus Nominatis, an secundum ius commune componens. Quaestio in medium prolat a, an forensis Norimbergae commorans coram duobus Nominatis possit ualide testari, hic decidenda est. Namque controuersia hac in fauorem extraneorum dirempta, testamenta eorum, praesentibus duobus Nominatis , facta non amplius in item uenient. Oppositio igitur, talia peregrinorum testamenta in controuersiam cadere, petitionem continet principii.

II. Allatum exemplum eo minus arguento esse, cum eadem in caussa in prima contentione pro ualore eiusmodi testamenti alienigenae lata sit sententia. Praeterea notum est, decreta ius tantum inter partes facere, l. XII. §. I. C. de LL. nec pro legibus esse, nisi ea in similibus casibus obseruari diserte iussum sit. L. III. C. eod. Responsionibus uero DONELLI et Ictorum Ingolstadiensium rationes aliorum celebriorum Ictorum contrariae , quae non minoris sunt ponderis, opponi merito possunt.

III. Reform. Noricam, quae ciuium tantum, et decretum a. CIPICCVI. quod subditorum extra urbem uiuentium



mentionem solummodo facit, testamenta aduenarum, praesentibus duobus Nominatis, condita eam ob rem non reprobare. Etenim SCtum hoc propterea tantum latum est, ut dubium saepius exortum, num genus testandi Noricum ad subditos extra urbem degentes se quoque extendat? plane tollatur. Quid? quod exinde patet, interpretationem Ref. Nor. extensiuam iam ante SCtum hoc admissam fuisse.

III. Discrimen esse inter testamentum peregrinantis, et illius, qui testandi solum causa mala fide ad locum extraneum se confert. Huius testamentum pro inualido sane declarandum erit. Quemadmodum contra ea peregrinus, Norimbergae morans, sine dubio testari ualide potest coram duobus minoris uel maioris consilio Nominatis. Cf. IO. CHRISTOPH. PISTOR. in tr. de testatore testibus testamentariis incognito.


V. Priuilegia, quibus incolis tantum breue testandi genus permittitur, Ref. Nor. ignorat. Quae enim ibi de Caefareis Regiisque dicuntur priuilegiis, de iure leges ciuitatis condendi, non de peculiari ciuibus per priuilegia concessa testandi genere, accipienda et expli-canda sunt. Cf. illiſtris auct. comment. in Ref. Nor. P. I. p. 663. et b. Consiliarius LOCHNER l. c. p. 198.

VI. Quod ad sumnum attinet ius, eo quaelibet ciuitas extraneas leges, quoties ad eas penes se prouocatur, spernere potest. Attamen si forum spectes, hoc iure non semper reguntur res publicae; sed nonnumquam de obligatione ad leges extraneas seruandas ne dubitatur quidem, sed species emergentes ad eas ultro exiguntur. Testamenta, ad sollemitates loci condita, plerum-

plerumque exteri ultro agnoscunt : quia sollemnitates solius sinceritatis eruendae, et fraudis declinandae causa requiruntur, et prudentiae civilis opinionem ubique pro se habent; consequenter exteris, quibus aliae plauerunt, non adeo praeiudicium pariunt, si de valore testamenti apud eas agitur. V. 10. SAM. FRID. BOEHMER in *diff. de efficacia statuti personalis extra territorium.* Excell. RICCIUS von *Stadtgesetzen* L. II. c. 13. §. 32. p. 516. Accedit, quod

VII. Sententia pro valore testamenti huiuscmodi alienigenae lata analogiae iuris, quo sufficit, illam interuenisse sollemnitatem, quae obseruatur eo in loco, quo perfectum fuit testamentum, quam maxime consentanea est. L. VIII. et f. C. de *Testam.* RICCIUS l.c. L. II. c. 15. p. 534.

VIII. *Conclamatum in foro est*, ut uerbis modo laudati illustris BOEHMERI utar, actum unumquemque secundum leges loci, ubi gestus, legitime celebratum, ubique terrarum, tametsi aliae ac plures sollemnitates ad eius ualorem ibi necessariae, pro ualido et obligatorio haberri, et secundum hoc principium pro eius obseruantia pronunciari. Similis insipio occurrit circa testamenta, quorum sollemnitates non sunt ubique eadem, sed multis modis differunt. Interim si postrema dispositio coram duobus testibus aliquibi facta ubi plures per leges non requiruntur, illa e sententia omnium letorum etiam ibi effectum habitura, et tumius agendi, tum excipienti productura est, ubi plures ad condendam eam praescriptae. In quam sententiam transit Vir immortalis memoriae, laudatus de HEVMANN, in Vol. I. exercit. iur. uniu. spec. II. §. 10. 11. Si peregrinus, inquit ibidem, testamentum condere cupiat, formam in ciuitate uel loco, quo commoratur,



ratur, usitatam seruato, et si forma ista ex priuilegio quodam proficiatur. Testamentum moribus loci congruenter compositum ubicunque terrarum, atque adeo ratione fortunarum alibi sitarum, firmum iudicatur. Conf. quoque Consult. RICCIUS l. c. L. II. C. 15. §. 1-6. STENGER in diff. de successionibus secundum statuta regulandis. HARPRECHT de testam. iud. §. 7.

Obseruatio XV.

DE VOCE GESCHAEFFT.

L. III. T. 33. pluribusque locis Ref. Nor. uox *Geschäfft* occurrit, quae, ut aliis similibus casibus fieri saepius solet, longis dissidiis controuersiisque ansam praebuit. Alii uocula hac non solum supremam contestationem, sed et pacta successoria, aliosque inter uiuos actus intelligendos esse uoluerunt. Alii uocabulum hoc supremas tantum voluntates signare, et pactis dotalibus aliisque actibus oppositum esse contendur. Quae uox usque eo in quaestione uenit, donec per illustris Senatus decreto addit. ad d. 13. Aug. a. 1510CCCLV. publicato controuersiam ita diremit hanc, ut uoce hac nihil aliud, quam testamentum aliamue supremam uoluntatem, intelligendum esse pronunciat. Copiosius hac de uoce disputauit b. Cl. LOCHNER l. c. p. 395.

Obseruatio XVI.

QVID A NOMINATIS IN ACTIBVS ALIENATIONEM BONORVM CONTINENTIEVS OBSERVANDVM SIT?

Si quis hereditati sibi competenti renunciare, aut aliam rem transferre in alterum uelit, Nominatis praecipue incumbit, ut cauissam bene cognoscant, certioresque sint, eum

eum, qui hereditatem aliquam rem, instrumento hunc in finem ab ipsis erigendo, distrahere cupit, mentis esse compotem. Sin impuberis, uel alii rationis rectae expertes homines, inconsultis parentibus, amicis, curatoribusque suis, alienationem intendant, Nominati comparere, testimoniunque dicere prohibentur ^{a)}).

a) L. VI. et VII. T. 34. Ref. Nor. item generosiss. AVCTOR comm. in Ref. Nor. P. I. p. 666.

Obseruatio XVII.

DE HEREDIS INSTITUTIONE.

Essentia testamenti cuiuscunque iure Romano in heredis institutione consistit. Quae si cessat, testamentum nullum est, et ob defectum sollemnitatis hujus internae iam ab initio non subsistit. Mitius sentiunt leges Noricae, quae institutionem heredis necessario non requirunt. Hinc testamentum, in quo nullus scriptus est heres, iure Norico ea ex ratione non corruit ^{a)}.


a) L. IX. T. 29. R. N.

Obseruatio XVIII.

DE INVENTARIIS.

Cum his, quae hactenus de testamentis dicta sunt, ea, quae de inventariis ratione Nominatorum annotanda sunt, congruenter iungi queunt. Perraro enim de ultimis agitur uoluntatibus, quin inventariorum quoque mentione facienda sit. Ratione autem eorum obseruandum est, indices facultatum hos a duobus Nominatis consignandos, iudicio exhibendos, praesentibus iis, quorum interest, iureiurando confirmandos, et ab actuario rite subscribendos esse ^{a)}.

a) L. III.



a) L. III. T. 38. R. N. Add. SIM. TOE. WOELKER in diff. de con- et
disconuenientia iuris communis et statutarii Norimbergensis quadmate-
riam inuentarii. Gies. 1710.

B) I V S A D R E M.

Obseruatio XVIII.

D E F I D E I V S S I O N I B U S.

Quicumque possunt stipulando obligari, et ciuile ui-
rileque obire negotium, fideiubere possunt. Quemad-
modum ergo ex priore sua sequitur sponte, ut fideiubere
non possint infantes, furiosi, mente capti, surdi et muti,
imo nec prodigi, pupilli, minores; nisi accedat tutoris
auctoritas: ita ex posteriore reddi poterit ratio, cur nec
milites pro paganis, nec clerici pro laicis, nec mulieres
sive pro extraneis, sive pro maritis, intercedere possint.
Vxorem pro marito fideiubere uetus Auth. si qua mulier.
Pro extraneis mulierum fideiuisionem sustulit SCtum Vel-
leianum. Nam sicut moribus ciuilia officia ademta sunt fe-
minis, et pleraque ipso iure non ualent: ita multo magis
adimendum eis fuit id officium, in quo non sola opera
nudumque ministerium earum uersaretur, sed etiam per-
riculum rei familiaris^{a)}. Quod autem beneficium, cum iu-
re introductum sit ciuili, alio iure ciuili aborogari potest,
uti multis in locis factum est. Inter consuetudines istas
et iura multarum ciuitatum, quibus mulieres pro aliis inter-
cedentes obligantur, in primis Ref. Nor. T. 19. L. V. an-
notanda est. Secundum hanc mulieres, sive uiduae, sive
uirgines, si maiores XVIII. annis sint, et sine tutoribus
curatoribusque constitutae, ac bona possideant propria,
pro aliis fideiubentes efficaciter obligari non minus ac ui-
ri possunt. Vxores, quae, pactis dotalibus interuenienti-
bus, matrimonium inierunt (*so in verdingter Heurath sitzen*)
consen-

consentiente tamen marito, fideiubere pro aliis possunt. Eaedem pro marito fidem ualide interponunt, ea tamen lege, ut intercessio haec, adhibitis duobus uel ex minore maioreue senatu, uel ex propinquis, tamquam testibus fiat. Vxores, quae, pactionibus dotalibus non conflatis, matrimonium contraxerunt (*so in versamter Heirath sitzen*), marito inscio et inuito fideiubere pro aliis nequeunt; quemadmodum casu hoc, uxore non consentiente, fideiussio mariti prohibetur. Quod si mulier cum uiro suo negotietur, etsi pacta exstant dotalia, casibus iis, quibus alter coniugum soluere pro altero cogitur, fidem pro aliis obstringere potest^{b)}.

- a) L. I. D. *ad Sctum Velleianum.*
 b) GE. REICH. STVRM *de uxore correali cum marito in uno eodemque*
documento obligatori. Norimb. 1713. Cap. 3. Cel. 10. 10D. BECK
in diff. de iuribus feminar. Nürnberg. singularibus. Alt. 1723. et recus.
 ib 1740. cap. 2. WVRFFBAIN. I. C. p. 107. 110. 261. Excell. GE.
 FRID DEINLEIN meritissimus quondam Antecessor Altorfinus, in diff. de
uxera inde Velleiani ad uxorem mercatricem pro marito mercatore in-
tercedentem applicata. §. 15. Alt. 1751.

Obseruatio XX.

DE CONTRACTIBVS IN GENERE.

Ex his, quae hactenus de Nominatis dicta sunt, sua sponte sequitur, ut omnia instrumenta, omnesque actus a duobus Nominatis celebrati plenissimo gaudeant iuris uigore. Corroborat hoc L. V. T. 8. Ref. Nor. ita, ut dogmam de contractibus praetermittere silentio possem. Verum enim uero duas tresue obseruationes maioris illustrationis caufa adferre adhuc liceat.

Obseruatio XXI.

DE EMTIONE VENDITIONE.

Intuitu emtionis uenditionis L. X. T. 16. R. N. cautum est, ut pretium, quod aestimationis uenditionisque caufa

G

consti-



constituitur, in libello emtionis, ad euitandum omnem dolum astutiamque, disertis uerbis exprimatur. Iusurandum, quod Nominati ab initio suscepiti officii praestare tenentur, prohibitionem continet, ut ne tabulis emtionis uenditionis dicis solum caussa factae sigilla apponant. Si subditi Norici extra urbem degentes, insciis et inuitis magistratu, praefecto, dominisque emphyteuticis suis, contractum cum Iudeis ineant, in fauorem illorum constitutum est, ut contractus hi, praesentibus licet Nominatis duobus celebrati, nulli reddantur, et sententia, actione instituta, Iudeis contraria ferri possit. Cf. decreta, a. c. 1022. d. 28. Febr. et a. c. 1023. d. 19. Maii.

Obseruatio XXII.

DE CLAVSULA HYPOTHECAE BONORVM CAMBIIS NON INSERENDA.

Haud raro factum est, ut litteris collybisticis clausula hypothecae bonorum inserta fuerit. Qua ex re, orto creditorum concursu, multae acerbaeque lites natae sunt. Eam ob caussam SCtum a. c. 1022. d. 1. Dec. ita prescriptum est, ut hypothecae bonorum in litteris cambiali bus constitutae iure prioritatis haud gauderent, sed cambia haec cum aliis pari passu ambulent, nisi oppignoratio cambiis inferenda, re adhuc integra, iudicaliter, aut duabus Nominatis nomen manu sua apponentibus, et litteras cambiales signantibus, facta celebrataque fuisset. Quo solum casu litterae collybisticae secundum temporis prioritatem collocandae sunt. Decreti huius mentionem quoque fecit *Parens summopere colendus in diss. inaug. de illegitimis quibusdam pignora et hypothecas constituendi retinendi que modis.* Alt. 1748. Sect. I. §. 19.

Caput III.

~~~~~

*Caput III.*

**DE ACTIBVS QVIBVSDAM IVDICIALIBVS.**

*Obseruatio I.*

**DE PROCVRATORIEBV S PRAESENTIBVS DVOBVS NOMI-  
NATIS CONSTITVENDIS.**

Licitum est cuicunque in rebus ciuilibus aut se ipsum in iudicio fistere , aut per alium postulare. Si quis in urbe nostra cauſiam suam ad patronum deferre uult , is secundum L. I. T. 5. R. N. uel in iudicio , uel duobus coram Nominatis constituendus , in albumque , (*in das Gerichtsbuch*) inscribendus est. Nominati , quibus praesentibus cauſarum actor nominatus est , ab eo , qui procuratorem elegit , fidem se seruaturum , stipulari sibi debent. Cautum tamen est recentioribus temporibus SCto a. CICIOCLXXVIII. d. 5. April , ut procuratores litigantes , qui uel dignitate sua uel infirma ualeſtudine coram iudicio fistere se impediuntur , admoneant , ut cauſarum suarum actores in iudicio , nec , ut plerumque factum est , extra forum accipiant.

*Obseruatio II.*

**AN NOMINATI TESTES IVREIVRANDO IMMVNES SINT?**

Testes , si fides iis in iudicio habenda , non aliter nisi iurari dicere testimonium debent. Nominati autem in rebus officium suum ſpecialiter concernentibus de iure iurando eximuntur<sup>a</sup>). Sed , caſu hoc excepto , partibus que testimonium iuratū uolentibus , aequē ac clericī iuratū testimonium dicere tenentur. Quid? quod nolentes testimonium dare , aut tergiuersantes ad testimonium dicendum cogi poſſunt<sup>b</sup>).

<sup>a)</sup> *Decret. add. a. CICIOCLXXXIV. a. d. 29. Maii, A. CICIOCCXI. d. 29. Sept. A. CICIOCCXXVIII. d. 10. Oct.*



- b) *Decretum A. CIDIICCLII d. 16. Maii. A. CIDIICCLIII. d. 27. Dec.  
A. CIDIICCLV. d. 8. Ian. A. CIDIICCLVI. d. 5. Nou.* Adde *Consult.  
Confiliarii 10. LEONH. STAVDNER diff. de testimonio iniurato ad  
illust. L. V. §. 24. et L. VI. T. 7. Ref. Nor. Altorf. 1758.*

### Obseruatio III.

#### DE NOMINATORVM PRIVILEGIIS.

Coronidis loco de priuilegiis Nominatorum adhuc agendum esset. Ast ex his, quae haec tenus de Nominatis, officio eorum, et iuribus, a me dicta sunt, permulta Denominatorum praerogatiuae iam elucent. Actum igitur agerem, et quasi eumdem cibum recoquerem, si lecta iam ab ultimo repeterem. Hoc tamen silentio prae-  
termittere non possum, dignitatem, iura, et priuilegia Nominatorum, poenam, quam soluere rei debent, haud mitigare, sed potius reddere grauiorem. Id quod colligi u. gr. ex eo potest, ut Nominatus adulterium committens adultero munere Nominati haud fungente, poenam luat acerbiorem <sup>a)</sup>). Quod uero attinet ad priuilegia, quae litteris exarata nostros inter ciues plerumque circumferuntur, ea fidei sublestae, fictitia, et ab homine luxuriantis ingenii procreata esse mihi uidentur.

- a) *Decret. A. CIDIICCLXXXI. d. 17. Ian. item illustris Ref. Nor. commentator.  
P. I. p. 232.*

### CONCL VS IO.

Habes hic B. L. quae de Nominatis senatus Norimbergensis numerosioris disputaturus, colligre, exponere, et duabus hisce sectionibus pro ingenii modulo persequi destinaui. Ceterum si Tibi quaedam obueniant errata, iis uelim ignoscas, haud immemor, me hominem esse, atque labibus humanis obnoxium. Deo autem T. O. M. ingentes ago habeoque gratias pro uiribus hoc in labore clementer mihi concessis, eumque enixe precor, ut omnia coepta mea, in posterum quoque successu prosperet felicissimo.

CANDI.

## CANDIDATO

FILIO SVO OPTIMO

S. D.

JOHANNES CONRADVS FEVERLEIN D.


CONSILIARIUS NORIMB. PRIMARIUS

ACADEMIAE ALTOFINAE PROCANCELLARIUS

ET COM. PAL. CAES.

Ego vero, non sine affectione paterna, Te, FILI DILECTISSIME! publice iam nunc compello. Qui enim, triginta et duobus abhinc annis, Lycaeui huius florentissimi spatia ingressus, vitae meae academicae ductorem et moderatorem fidelissimum, Parentem optimum, praematura eheu! morte amisi, non possum, quin serio laeter, gratoque animo prosequar singularem SVMMI NVMINIS benignitatem ac clementiam divinam, quae nos salvos fospitesque adhuc servavit. Quinquennium, ab Imperatore Iustiniano iurum studiosis olim praescriptum, in Academiis patria et Helmstadiensi rite absolvisti, et, iactis prius philosophiae atque elegantioris litterarum fundamentis solidis, totum legum scientiae campum non breuiter percurrisi, sed iustis itineribus peragrasti. Virtuti Te mancipasti, et secundum huius praecepta vitam. Tu am, ad praefens tempus, instituisti, non otio aut perdita consortione trivisti tempus, nec in vicorum tabernis latebrisque aleatorum, ex perverso seculi nostri genio, delitasti, sed in evolventis et perscrutandis sapientum virorum scriptis ingenium exercisti eosque fecisti progressus, quorum Te per totam vitam nunquam poenitebit. In itineribus Tuis per Belgium, Galliam plerasque Germaniae provincias hoe et praeterito anno suscepisti amorem Tibi a magnis in republica litteraria viris conciliasti amplaque plurimatum rerum notitiam comparasti. Minime itaque pudet me profiteri publice FILII innatum virtutis ardorem et emergendi desiderium, sed nefas ducerem, non gratulari Tibi de feliciter suscepto vitae studiorumque cursu, utque eum felicissime absolvas, ac laetissimos semper successus fructusque sedulitatis uberrimos experiaris, ex animo haud apprecari. Pulchrum est et laude omnino dignum, si quis indefesso studio in bonas litteras incun.

G. 3.



incumbens, animum suum eruditione solida implere gestit. Nihil  
 quippe a Te praetermissum est, quo solertissime in dies animum  
 doctrina excolas eaque Tibi feligas, quae desiderio Tuo et in di-  
 seendo cupidini maius adferant incrementum; hinc calcaria Tibi ad-  
 movere necesse non habui. Haud in extrema igitur felicitatis meae  
 parte pono, quod, divina annuente gratia, ex unanimi Illustrium,  
 Consultissimorum Doctissimorumque Dominorum Antecessorum et Pro-  
 fessorum Altiorumorum aequae ac Helmstadienium consenuit, talem Te  
**FILIVM** iam exosculari queam. Tu vero, mi **FILI CARISSI-  
MEL!** incitamento hoc meo paterno simul admoneare, ut, quem in-  
 gressus es, laudis tramitem semper serves, meamque de Te con-  
 ceptam spem abunde impleas, Maiorunque Tuorum de Ecclesia  
 et re litteraria bene meritorum gloriam rite tueri et amplificare stu-  
 das. Licet enim aetas Tu a nondum annos illos excederit, quos le-  
 ges in maioresnitatem explendam constituerunt, sic tamen Te gessisti  
 in praesens tempus, ac in hac Musarum fede non minus quam in  
 alma Iulia Carolina haud ~~ανυπόλητος~~ interfueristi, sed tria diligentiae Tuae  
 iam edidisti specimina, ut exinde consilium, quo ad gradum iuris-  
 prudentiac summum adspiras, non improbum, quin potius arripiā  
 occasionē, publicē Tibi applaudendi, successusque egregios congratulandi,  
 quibus nunc honores et virtutis praemia a Magnifice  
 ICtorum Ordine huiusque Speccatissimo Domino Decano, me coope-  
 rante, cum laude obtines. Faxit **NVMEN**, ut quaecunque confilia  
 salutaria suscepturn sis, ea fauste feliciterque eveniant. Ma-  
 ete hac uirtute, **FILI PERDILECTE!** partamque doctrina, se-  
 dilitate et singulari naturae bonitate laudem amplifica, rem publicam  
 iustitia et honestate illustra, et annitere, ut Iureconsulti quandam  
 doctis omnibus acceptissimi expreas partes, et **DEO, PATRIAS** et  
 proximo dehinc inservire valcas. Euge ergo, strenue age, quod  
 agis! Annuat **SVPREMVM NVMEN** semper Tibi et ubique ad-  
 sit, concedatque per omnem vitam divinam benedictionem, **PER-  
 ILVSTRIVM PATRIAE PROCERVUM** patrocinium, omniumque  
 bonorum favorem et alia queuis exoptatissima. Vale, resque Tuas  
 age feliciter!

**PRAE-**

PRAESTANTISS. DN. CANDIDATO

S. P. D.

D. IOH. AVG. DIETELMAIR.

Dudum iam in orbe litterato FEVERLINIANVM nomen, cuius felix heres es, ita colitur, celebraturque, ut nullibi non deprehendatur laudatum, ubicunque virorum praestantissimorum, sive theologorum, sive ICTORUM, sive medicorum, sive philosophorum indices peroluas. Hoc Tu quoque non frustra gerens, eruditus iam ante ornasti speciminibus; nuncque nouo et solempniori ornatus, neminem finis dubitare, quin et in posterum maiorum longe celeberrimorum, et MAGNIFICI PARENTIS praesertim uestigia premens, nominis, gentisque Tuae decora gnauiter sis amplificaturus. Tibi igitur, honorum academicorum DIGNISSIMO CANDIDATO, pro meritis applaudere, et fausta quaevis omniari, quod omnes faciunt, ego quoque uolui, debique. Vale.

---

CANDIDATO EXIMIO

ERVDITISSIMO FEVERLINO

S. P. D.

IOH. BERNH. HOFFER. D.

H. T. DECANVS.

Non sine summa animi uoluptate iam dudum intellexi, Te unum esse ex illis paucissimis, qui tempus omne, academicum inprimis, quo nihil pretiosius, perire existimant, quod doctrinae cuiusuis generis excolendae non consumitur. Tu enim, COGNATE DILECTISSIMA-



CTISSIME, gloriari autem paternaque virtutis studio summo aemulaturus partim in hoc nostro Musarum domicilio, partim in illustri Iulia Carolina egregiam iurium artiumque optimarum scientiam notitiamque Tibi comparasti, quam editis speciminiibus variis, iisque luculentis partae eruditionis praestantioris documentis, patriae carissimae, cui Te natum esse censes, probatum dedisti, sique cunctis exemplum illustre, quod imitentur, praebuisti. Ex eo autem omnium in Te amor quotidie augetur magisque confirmatur, praesertim ob summam morum TUTORVM honestatem, quos eruditis per cultissimas Europae regiones, Belgium nimurum Galliamque institutis itineribus insigniter ornasti. Iam igitur ex merito Themis Te amplectitur; Themis, quae suum cuique tribuit, Tibique, cultori suo integerrimo, labores uigiliasque rependit honoribus maxime insignibus, quibus Te Ordo noster consenuit unanimi iudicauit dignissimum. De his tam praeclaris non fortunae, sed virtutis ac diligentiae haud proletariae munericibus cum optimo quoquis Tibi non solum, ORNATISSIME CANDIDATE, mente sincerissima gratulor, sed et Patronorum meorum Optimo, SVMME VENERABILI PARENTI TUO, iustitiae sacerdoti castissimo, Viro clarissimo meritis cum in rem publicam patriam, tum in almann hanc academiam, quae magnifico EIVS nomini numquam non reverenter asturgit. Age, carissima eruditae gentis Feuerliniana proles, persequere et in posterum uestigia PARENTIS amantissimi, eiusque ad exemplum perfectissimum pietate et constantia Te effingere, uiribus omnibus allabora: ita enim ad honores amplissimos, id est paternos, adspirabis, nomenque Tuum posteris commendabis serissimis. Vale, meque amare perge. Sc, a. d. 14. Dec. A. S. R. CICICLXXV.

B



PRAE-

PRAESTANTISSIMO IVRIVM CANDIDATO  
 DOMINO PAVLO IACOBO FEVERLINO  
 COGNATO SVAVISSIMO

S. P. D.

WOLFGANGVS ALBERTVS SPISIVS D.

ANTECESSOR IVRIS PRIMARIVS  
 ET PERILL. REIP. NOR. CONSILIARIVS SENIOR.

**G**ratulationis officium, non quia moris est, sed amicitiae testan-  
 dae causa, animo quam sermone prolixiore, Tibi praesto, CANDI-  
 DATE OPTIME, qui, examinibus Ordinis nostri feliciter et mul-  
 tatum laude exantatis, iam in eo es, ut in cathedra publica doctri-  
 nam Tuam uberiori explices, ac brabeum diligentiae, Licentiati  
 dignitatem, ex merito consequaris. O Te felicem! qui, auitis lumi-  
 nibus excitatus et paternis curis formatus, totum Te litteris tradi-  
 disti, ac praesidiis eorum studiorum, quae ab elegantia et humani-  
 tate nomen habent, probe munitus, amplissimum iurisprudentiae  
 campum auspicio ingressus in eoque per quinquennium ita uersatus  
 es, ut per medium profundum eundo legitimum opus coelesti favore  
 iam adimpleveris. Sed et praeterea rerum patriarum cognitioni  
 laudabilem impendisti operam, eiusdemque documentum in Illustri  
 Academia Helmstadiensi nuper edidisti prorsus eximium. Nunc au-  
 tem inaugurale specimen de *Nominatis numerosioris Senatus Norimber-  
 gensis* exhibes, atque eorum statum et iura, quod a nemine alio adhuc  
 factum est, ex instituto exponis; quamuis hoc civium genus ita com-  
 paratum sit, ut bonis mixti sint mali, spectatae fidei viris homines  
 sublestae fidei, rerum tractandarum peritis imperitissimi et, turpe di-  
 eu, analphabeti. Faxit DEVS, ut omnia in posterum fauste fortu-  
 nateque Tibi succedant; ut in Patria, cui Te totum consecrasti,  
 per gradus honorum adscendas, ac VENERANDO DOMINO PA-  
 RENTI, de republica et academica praeclare merito, Nestoreis anni  
 dignissimo, CIVIS in Te, filio unico haud degenere, cura stat  
 omnis, cumulum gaudii afferas, EIUSDEMQUE Collega Censiliarius,  
 quod sive haud vana augurari licet, brevi evadas. Vale et, quod  
 nullus dubito, mihi favere perge. Scrib. Nonis Decembris A. S. R.  
 CIOCCCLXXIII.

H

PRAE-

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE  
FEVERLINO SVO  
S. P. D.

IO. CONRADVS STIGLIZ D.

**S**i ullum mihi unquam dulce aut iucundum fuit officium, fuit certe illud, quo me fungi et in numero eorum esse voluisti, qui honores a Senatu Iuridico Tibi ex merito decretos gratulantur. Ac profecto ad recipiendum id genus officii singularis Tua humanitas, et parta doctrinae copia, et reliquae, quas in Te amamus, virtutes summa suavitate pelliciebant. His, inquam, lubenter dedi, nihil consuetudini, ut in societatem gratantium adscribi paterer. Sed veror, ne in tot tantisque, quos bonorum omnium suffragio fers, plausibus mea vox aut nimis debilis sit, quae audiatur, aut, si Vironum gravissimorum elogiis se societ, superflua. An igitur me experitem esse posse putas illius laetitiae, quo MAGNIFICVM PARENTEM Tuum hoc Tuo die oportet affici? Cepit iam ubertim educationis Tuae fructus, capietque, cum isto die Tuo, tum in dies semper, ubiores. Gratulor itaque PARENTI OPTIMO talem filium, gratulor Tibi, quod illius spei et expectationi tam praeclare respondisti. Sic uero eris ornamento patriae Tuae, si semper spes laudatissimum PARENTEM Tuum, in quo expressum habes exemplum nirtutum, eruditionis, et insignium erga rem publicam meritorum, quod sequaris, ipse exemplum multis alii dein ceps futurus, si, quod facis, perpetuo sequaris. Cuius viri auspiciis dum agis, eius favori studioque erga me praeclaro deditissimum animum declarandi occasionem offers, qua ita delector, ut delectari solemus iis, quae nobis iucundissima accidere solent. Vale, FEVERLINE, animo meo carissime, et secundis semper rebus ute re. Tum vero et me, dum vives, ama. Iterum vale. Dab. A. D. XIV Decembr, CCCLXXIV.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO  
IOHANNES ANDREAS MICH. NAGEL.

Iam laetus video initium praemiorum , quae Tuam diligentiam, eruditio-  
nem, et honestatem sequutura praeuidebam. Praeuidebam  
haec, si laudibus acquisitis insisteres, et uirtutes Tuas continuares.  
Aet Tibi haud sufficit, parta tueri, sed quod generosae mentis  
est, bona Tua pristina insigni cumulo commendationis extra pa-  
triam adauxisti. Vixisti non sine egregio incremento doctrinac  
Tuae aliquamdiu in celebri Academia Helmstadiensi ; ubi preclara-  
rum afflitudinis et cognitionis Tuae documentum dediti. Vidisti  
multos magnos Principes , eorumque praesentiam comiter et reue-  
renter coluisti. Peragasti Galliam et Belgium ; atque Germaniae  
studiorum emporia , et bibliothecas, non sine multiplici usu lustra-  
sti. Iam nouo ac laudando monumento uiam Tibi ad summos in  
utroque iure conseqüendos honores munis ; qui Tibi uere honori-  
sient, quod eos utique mereris. Comitabuntur huic praestantis ho-  
noris gradui illae dignitates, quae bonae menti Tuae , doctrina ,  
uirtute , et usu rerum politae , conuenient. Quod ut breui fiat,  
caussa memoriae fauens mihi olim b. Domini Aui Tui precor ; et  
cultus ergo ominor, quem Venerandis Tuis Parentibus, et sigilla-  
tim MAGNIFICO DOMINO PATRI Tuo, Patrono et Amico  
meo prisco debeo ; ac tandem (et quid ni?) maxime Tua caussa  
opto ; quicum tot amoenas horas in libris et literarum studio , trans-  
misi, eaque de caussa Te iure meritoque uehementer carum habui ,  
et adhuc habeo. Vale.



OMI VIRO PRAENOBILISSIMO  
AVCTORI HVIVS LIBELLI DOCTISSIMO  
AMICO ET COGNATO SVO DILECTISSIMO  
HONORES ACADEMICOS  
IMPENSE GRATVLATVR  
GEORGIVS ANDREAS WILLIVS

COMES PALAT. CAES. ET PROFE. PVBL.

**L**ongum iter est, sed molle et dulce, quod per orbem literatum in museis nostris conficimus et repetimus quotidie, mundum modo extinctum peragrantes, Athenas scilicet, ipsamque Corinthum et Roman adeuntes, modo Germaniam nostram, barbarem olim, cultam nunc et terissimam, terrasque alias et ultimas oras visitantes. Quod iter Tu quoque, VIR PRAENOBILISSIME, sexennio tuo academico commode non tantum explicuisti et egregie, sed etiam aliud Te que maxime decens et politicum per Germaniam, Belgium Galliamque cursu emensus es iusto ac felici. Nunc in academiam patriam redux, auctore parente optimo, MAGNIFICO PROCANCELLARIO nostro, et acclamantibus praeceptoribus atque amicis Tuis, summos honores accipis, quos Themis habet, quosque Tibi, si ulli, iustissime persoluit. Ego vero pro vinculo summae coniunctionis, quo MAGNIFICO PATRI TUO, Tibique adstringor, laudans gratansque complector Te et exosculor. Hercle rem Tuam gestam optime! In primis autem popularce et plausibile factum est, quod ex eo studiorum genere, quod in oblationibus habeo et in laude pono, tertia iam vice materiam sumseris et in cathedra academica, a Te semper et olim iam me comite honestata, ventilationi alter sentientium subieceris. Hoc boni ciuis est et Tua e virtutis, illustrare, tueri atque ornare patriam. Hac via incendi Tihi, pro solo, in quo nati sumus et liberaliter educati, in posterum magisque dimicandum erit, nunquam tamen sine felicitate, vel ingenti Tua gloria. Immo illo die, quo Patres Patriae solent nominare, quos dignissimos honoribus iudicent, Te semper nominabunt. Vale.

Q.DIV

8 H


PRAE-

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
PAVLLO IACOBO FEVERLINO  
IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

GEORG. CHRISTOPH. SCHWARZ, P. P.

**S**i in ullo unquam, in Te certe, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, omnia, quae non uni, sed multis laudi ducuntur ac decori, mirum in modum conspirant. Sunt enim, quos exquisita quidem doctrinae copia multarumque rerum scientia commendet, quorum uero gratia uirtutis restorumque morum contemtus imminuat. Sunt, qui umbratili sapientia, ex libris cupidearrepta, angustisque animi finibus inclusa delectentur, ignorant autem, quid maior pars hominum sentiat, aut quid aliorum causa litteris se dare, quid aliis uiuere dicatur. Contingit quibusdam naturae benignitas, ardent ipsi studio admirabili, apti sunt ac parati ad grauiora negotia suscipienda; sed deest illis occasio, fautor ac nominis claritas; quo fit, ut obscuri paene exolefacit atque operam oleumque perdidisse uideantur. At uero felicem beatumque Te, quem cuncta decorant bona amico quadam consensu! Felicem Te, quem iuuat cernere praestantissimis animi dotibus instructum, optimis auspiciis, hoc est, PRUDENTIASSIMI PARENTIS duolu a pueritia litteris institutum, deinde in academiis summo cum fructu, summaque cum laude uersantem, artes, linguas ac praeceps uniuersam legum scientiam studiosissime tractantem atque in hac denique ita proficientem, ut ad eam Te quisque non fatum, sed natum iam esse arbitretur. Quae quidem, quanta quanta sunt, neutiquam tamen laudis Tu ae argumenta omnia complectuntur. Quantum enim utilitatis alii doctis peregrinationibus, quantum doctrinae alii commercio cum eruditis, quantum alii prudentiae non locorum tantum, sed principum quoque uirorum cognitione compararunt, tantum et commodi et intelligentiae et cogitandi sollertiae uaria ac laudabili hac ratione prae ceteris simul collegisti.



gisti. Sic igitur, copiosis eruditionis atque experientiae decoribus exornatus, ad patrios redi lares, exspectasque praemia, quae alma legum Dea ac patria libens merentibus offert et largitur. Quod Tibi, CANDIDATE DIGNISSIME, faustum fortunatumque, VENERANDIS PARENTIBVS Tuis laetum, carissimae patriae sit salutare! Auguror sane, nec me failit augurium, fore, ut inter primarios illos viros, qui rem publicam consiliis curisque suis strenue sustinent, mox eum, quem mereris, occupes locum, spemque in Te positam uirtute ac praestantia exaeques atque superes. Habes profecto exemplum perfectissimum, domesticum, uiuum, PARENTEM MAGNIFICVM, cuius merita in urbem patriam, an in academiam hanc maiora sint, incertum, hoc uero est certissimum, in uniuersum ea maxima atque immortalia esse. Quem si fecuturus es, ut sequeris, quis Te praestantior erit, quis laudabilior, quis dignior honorum ornamenti? Summum modo numen felicitati Tu a det perpetuitatem, labores Tu os quoescunque secundet, ac Tu um, PARENTVM QVE OPTIMORVM gaudium augeat semper firmetque. Ego uero ut studiosissimus sum Tui, ita commendatissimum me Tibi nunquam non fore aequi iacto, ac PARENTI TWO MAGNIFICO ob singularem eius in me fauorem totum me trado, deditissimumque profiteor. Vale.



## Errata.

---

- Pag. 12. lin. 30. pro **HEINISCH**, lege **HENISCH**  
Pag. 16. lin. 15. pro *salarium*, lege *solarium*  
Pag. 22. lin. 2. pro *funt*i**, lege *funt*h**)  
Pag. 22. lin. 6. pro *conceditur* lege *conceditur*i**)  
Pag. 27. lin. 2. pro *tequisitis* lege *requisitis*  
Pag. 31. lin. 8. pro *gener alis* lege *generalis*  
Pag. 37. lin. 26. pro *Conſtitutio* lege *Conſtitutio*  
Pag. 39. lin. 31. pro *m* lege *in*  
Pag. 48. lin. 22. pro *aborogari* lege *abrogari*

**DILIGENTIA**

Per se illi so do hennicor, iudee hennicor  
per se illi so do hennicor, iudee hennicor

Constitutio regis vobis eis dicitur, quod permissum

est, ut illi, qui in eis, sicut in aliis, regis

concessione regis, illi res ipsas, quae in aliis, non


concessione regis, illi res ipsas, quae in aliis, non

concessione regis, illi res ipsas, quae in aliis, non

concessione regis, illi res ipsas, quae in aliis, non

concessione regis, illi res ipsas, quae in aliis, non





**ULB Halle**  
002 408 120

3







21 1774, 2 23

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
SISTENS OBSERVATIONES  
DE  
NOMINATIS  
SENATVS NORIMBERGENSIS  
NVMEROSIORIS

(Von den Genannten des groeffern Raths zu Nürnberg)

P. 153.

QVAM  
DEO ADIVVANTE  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS  
IN ACADEMIA ALTORFINA  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM  
RITE CONSEQVENDI  
D. xv. DECEMBRIS A. CIOIOCLXXIIII.  
PVLICE DEFENDET  
PAVLLVS IACOBVS FEVERLEIN  
NORIMBERGENSIS  
REIP. PATR. ADVOCATVS  
SOC. DVC. TEVT. HELMSTAD. ET SOC. LAT. ALTORE.  
ADSCRIPTVS.

ALTORFII

TYPIS IOANNIS PAVLLI MEYER.

